Quae ratio intercedat inter Xenophontis historiam Graecam et Plutarchi vitas quaeritur

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Gissensi

rite impetrandos

scripsit

Reinhardus Dippel
Gruenbergensis

Gissae
Typis officinae aulicae et academicae de Muenchow
MDCCCLXXXXVIII

Quae ratio intercedat inter Xenophontis historiam Graecam et Plutarchi vitas quaeritur

Dissertatio inauguralis

quam

ad summos in philosophia honores

ab amplissimo

philosophorum ordine Gissensi

rite impetrandos

scripsit

Reinhardus Dippel

Gruenbergensis

Gissae

Typis officinae aulicae et academicae de Muenchow

MDCCCLXXXXVIII

Eduardo Schwartz

Ad solvendam quaestionem illam saepe quidem institutam, sed tamen in controversia adhuc relictam de Plutarchi ratione componendi vitas parallelas nonnihil afferri posse ratus, si, quomodo Xenophontis historia Graeca ille usus esset, exponeretur, perduxi hoc opusculum ad eum annum, a quo Callisthenis narratio incipit. Non sane neglecta est a viris doctissimis haec, in qua studia mea versantur, materia. Sed Buechsenschuetz (Xen. Hell. u. Plut. N. Jahrbb. f. Phil. u. Pädag. XLI, 1871; p. 218 sqq.) satis habuit demonstrare e Plutarchi vitis documentum capi posse nullum ad probandam eorum opinionem, qui Xenophontis Hellenica in epitomen coacta esse existimarent. Stedefeldt autem (de Lysandri Plutarchei fontibus diss. Bonn. 1867) et Fricke (Untersuchungen über die Quellen des Plut. im Nikias und Alkibiades. Lipsiae 1869) et Sachse (die Quellen Plut. im Ages. progr. Suerin. 1888) Xenophontis historia Plutarchum usum esse prorsus negaverunt omniaque, quae illi similia sunt, ad Ephorum rettulerunt, cum Diodori libro tertio decimo magnam partem Theopompi narrationem subesse opinarentur. Quam proximam attuli coniecturam defendit etiam Natorp: Quos auctores in ultimis belli Peloponnesiaci annis describendis secuti sint Diodorus, Plutarchus, Cornelius, Iustinus. diss. Argentor. 1876, cui partem alteram addidit: Über die

Quellen der griech. Geschichte für die Jahre 404—394 (Zeitschr. f. österr. Gymn. XXVII, 1876); et quamquam Plutarchum interdum Xenophontis Hellenica inspexisse confessus est, tamen in singulis rebus examinandis eorum nullam fere rationem habuit. Contra Petrou (Πηγῶν ἐρευνὰ τοῦ Πλουτάρχου ἐν βίῳ Ἀγησιλάου diss. Lips. 1888) non pauca Xenophonti ipsi attribuit; in ceteris autem fontibus investigandis saepe ad eius sententiam accedere non possum.

Et quoniam praeter ipsum Xenophontem Theopompus imprimis et Ephorus respiciendi sunt, inde proficiscatur disceptatio nostra, ut, qua ratione uterque scripserit, maximeque, quomodo Xenophontis narrationem in usum suum converterit, videamus.

De *Theopompo* igitur inspicias velim, quae docuerunt Dellios: Zur Kritik des Geschichtsschreibers Theopompos. diss. Jen. 1880, et Blass: Attische Beredsamkeit II² p. 400 sqq. Qui orationem concitatam et animum imperio populari ideoque Atheniensium rei publicae infensum, Lacedaemoniis amicum Theopompi propria esse statuerunt. Oblocuti sunt Riese: Der Historiker Theopompos (N. Jahrbb. f. Phil. u. Pädag. 1870 p. 673 sqq.), Buenger: Theopompea. diss. Argentor. 1874, Hirzel: Zur Charakteristik Theopomps (Rhein. Mus. n. s. XLVII, 1892; p. 359 sqq.). Mihi tamen non persuaserunt. Nam cum Theopompi patrem legamus Lacedaemoniorum asseclam e patria expulsum esse, ipsum nisi Alexandri praesidio tectum reverti non potuisse, cum mortuo hoc denuo expulsus et a compluribus civitatibus exclusus in Aegyptum confugisset, a Ptolemaeo acceptum non esse ὡς πολυπράγμονα, statuamus necesse est acriter eum et palam studia partium persecutum esse; nec vero eius scriptionem illo studio intactam fuisse probatur, ut opinor, frgmm. 65, 95, 96, 107, 117, 155, 167, 172, 238, 263, 297. Apparet rerum scriptor, qui aspernatur populare imperium, vituperat civium Atheniensium spiritum, laudibus effert Spartiatarum mores et disciplinam. Concedo illum

de Demosthene, quamvis magnam eius auctoritatem immeritam fuisse frgm. 239 doceat, laude dignum aliquid narrare frgm. 107 itemque Eubulum et Callistratum iudicari homines domi effeminatos, in re publica impigros frgmm. 95 et 96. Non neglego frgm. 297, in quo Athenae πρυτανεῖον τῆς Ἑλλάδος esse dicuntur propterea, ut opinor, quia principes erant et duces in omni varietate litterarum, ut saepius profitetur Isocrates, cuius eruditione Theopompus ipse in illa urbe imbutus erat. Sequitur eum non fuisse Athenarum castigatorem odio caecatum; manet mihi tamen sententia supra allata, quae e magno illo fragmentorum numero percipitur, quam veteres iam habuisse apparet frgmm. 172 et 297. Quomodo Xenophontis historia Theopompus usus sit, in fragmentis non perspicitur. Vituperatur tamen apud Eusebium (praepar. evang. X, 3 D) secundum Porphyrium, quod multa e Xenophontis narratione in opus suum transtulisset atque in deterius mutasset, cum et oratoriam vim ostendere et descriptionis elaboratae cultum addere studeret.

De *Ephoro* cf. Volquardsen: Untersuchungen über die Quellen der griech. u. sicil. Geschichte bei Diodor, Buch XI bis XVI. Kilon. 1868. Natorp: Quos auctores etc. Holzapfel: Untersuchungen über die Darstellung der griech. Gesch. von 489—413 bei Ephorus, Theop. und anderen Autoren. Lips. 1879. Endemann: Beiträge zur Kritik des Ephorus. diss. Marburg. 1881. Busolt: Philol. Anzeiger XVI, 1886 (ubi iudicium tulit de Sternii libro: Über die Gesch. der spartan. u. theban. Hegemonie), Blass: Attische Beredsamkeit II^2 p. 472 sqq.

Natorp p. 17, Holzapfel p. 6 sqq, Endemann nonnumquam Ephorum ad Thucydidis similitudinem accedere docuerunt vel in verbis, magis tamen Atheniensium partibus favere. Similiter Xenophontem ille secutus est frgm. 130, ubi amplificatur eius brevis narratio Hell. III, 1, 8, et frgm. 144 (cf. Hell. VI, 4, 31); at discrepant, quae de Mantinea divisa dicuntur frgm. 138, cum Hell. V, 2, 7.

E frgm. 143 Ephorum magna cum voluptate multisque verbis proelium Leuctricum descripsisse et maximis laudibus extulisse Epaminondam cognoscimus, cuius Xen. VI, 4, 4 sqq. mentionem non facit.

Plura autem, quam e fragmentorum numero parvo, quae quidem cum Xenophonte conferri possint, discimus bibliothecae Diodoreae iis locis, qui ex Ephori opere conscripti sunt. Quod quoniam ambigitur de libri XIII magna parte et de initio libri XIV, proficiscamur a rebus Graecis annorum 403—362, quas paucis fortasse exceptis[1]) secundum Ephorum narratas esse omnes consentiunt, praesertim cum originis Ephoreae haud rara indicia appareant. In his igitur partibus, quamquam interdum magna cum Xenophonte similitudo exstat[2]), tamen Ephorus non solum multa, quae a Xenophonte prorsus omissa sunt, tractavit, sed etiam, ubi prope accedit ad illum, de suo non pauca addidit, in quibus praeter alia in conspectum cadunt numeri copiarum pugnantium, navium, occisorum; alio ordine res descripsit, sua commentatione ornavit, alio, ut ita dicam, colore imbuit. Et obsunt saepe, quae aut addidit aut mutavit, Lacedaemoniis, prosunt Atheniensibus Thebanisque, quorum non solum rebus in universum favet, sed etiam duces singulos studiis suis prosequitur, ut Epaminondam, Cononem, Timotheum, Chabriam, Iphicratem[3]). Laudatur

---

[1]) cf. Busolt l. l.

[2]) velut Diod. XIV, 38 cf. cum Hell. III, 1, 16 sq. 2, 9. XIV, 85, 4—6. 86, 2. 3 cum Hell. IV, 8, 1—16. XIV, 94, 2 — fin. 99, 4. 5 cum Hell. IV, 8, 25 sqq.

[3]) cf. XIV, 17, 4 sqq. cum Hell. III, 2, 21 sqq, XIV, 81 sq cum Hell. III, 5, 3 sqq, XIV, 83 cum Hell. IV, 2, 16 sqq, XIV, 110, 4 cum Hell. III, 5, 3 sqq, XV, 5 et 12 cum Hell. V, 2, 1—8, XV, 19 sq cum Hell. V, 2, 11 sq, XV, 25—27 cum Hell. V, 4, 2 sqq. XV, 32 sqq cum Hell. V, 4, 34 sqq. XV, 51—56 cum Hell. VI, 4, 1—15, XV, 63, 1 cum Hell. II, 2, 20, XV, 82 sq cum Hell. VII, 4, 33 sqq.

tamen Lacedaemoniorum quoque fortitudo[1]); quae sane non raro iis, qui contra steterunt, Atheniensibus vel Thebanis sive vincentibus sive aegre victis maiorem etiam laudem affert; nec deest Atheniensium Thebanorumque vituperatio[2]). Ceterum saepe, quae Xenophon tradiderat, Ephorus ita neglexit, ut prorsus eorum narrationes inter se discrepent[3]).

Mitto utriusque dicendi genus, quod vereor, ne ita multum inde non proficiamus. Nam et communia Isocratis discipulis nonnulla fuisse opinor, quae Theopompi propria iudicavit Buenger l. l. et suam quisque elocutionem habet eorum, qui ab altero utro sua mutuati sunt. Quare si conferes cum eis Diodori libris, de quibus in hoc opusculo agitur, proximos, qui e fonte alio manaverunt, eundem sermonem invenies; aliisque verbis atque Ephorus (frgm. 130) Diodorus XIV, 38, 2 elocutus est, quae apud illum de Dercyllida invenit. Quare cum verbis non multum tribuam, rerum descriptione, de qua supra dixi, argumentatio mea nititur.

de auctore Diod. XIII, 42–XIV, 11.

Iam igitur accedamus ad Diodori librum XIII, qui utrum ad Theopompum magnam partem an totus ad Ephorum revocetur, multum refert ad quaestionem nostram. Atque cum Volquardsen l. l. hic quoque Ephori vestigia demonstravisset, Fricke (Untersuchungen über die Quellen des Plutarchos im Nikias u. Alkib. Lips. 1869) probare

---

[1]) velut XIV, 83, 7. XV, 21, 2. 31, 3. 4. 32, 33, 6. 34, 5. 55. 63, 3. 64. 65. 86.

[2]) XIV, 86, 2. XV, 23, 4. 35, 1.

[3]) ut XIV, 80, 1—5 cum Hell. III, 4, 21 sqq. XV, 5 et 12 cum Hell. V, 2, 1—8. XV, 19, 3 sq. 20 cum Hell. V, 2, 11 sqq. XV, 25—27 cum Hell. V, 4, 2 sqq. XV, 29, 5 cum Hell. V, 4, 20. XV, 32 sqq cum Hell. V, 4, 4 sqq. XV, 51—56 cum Hell. VI, 4, 1—15. XV, 57, 2 cum Hell. VI, 4, 27. XV, 59 cum Hell. VI, 5, 1—21. XV, 65 cum Hell. VI, 5, 27 sqq. XV, 82, 6. 83 cum Hell. VII, 5, 10 sqq. XIV, 17, 4 sqq. cum Hell. III, 2, 21 sqq.

conatus est Diodorum a XIII, 42 usque ad XIV, 11 Theopompum secutum esse, id quod de XIII, 68 — fin. iam Stedefeldt (de Lysandri Plut. fontibus; diss. Bonnae 1867) contenderat; idemque statuerunt, ut alios omittam, Natorp l. l. et Breitenbach in praefat. ad Xen. hist. Graecae edit. I[2] p. 70 sqq. At equidem non satis intellego, qua re Diodorus commotus esse iudicandus sit, ut abiecto Ephoro, quem usque eo secutus erat et infra secutus est, Theopompi narrationem uberiorem, quamvis in breve omnia cogenda essent, praeferret. Sed videamus, quae argumenta illi viri docti e totius huius partis natura repetiverint.

Ac primum quidem insigne in Theramenem studium, quod Volquardsen quoque (p. 63) animadverterat, illi ad Theopompi de re publica sensum rettulerunt; quin iniuria, equidem non dubito. Theramenes enim primum laudatur XIII, 38, 2, ubi quadringentorum virorum potestatem eum sustulisse legimus. Iterum Pari aliisque locis paucorum dominatione fracta populare imperium restituit (47, 7 sq). Summis vero laudibus celebratur XIV, 3—5, quia fortiter adversatus sit Lysandro eiusque asseclis, omnes res novas impugnaverit, ideo tantum, ut multitudinis causam contra ceteros ageret, in trigintavirorum numerum a plebe electus sit, quacum una nominatur 3, 7: Θηραμένης καὶ ὁ δῆμος. Apparet talia aliena esse a Theopompo. Immo vero Ephorus secutus est famam illam pervagatam, qua Theramenes, quia Critiae adversatus mortem obierat, gloriam quandam, ut ita dicam, martyrii et veterum peccatorum oblivionem adeptus erat; quam paulo post eius mortem ortam et cum vi effusam esse testis est Lysias XII, 62 sqq et XIII, 9 sqq (cf. praeterea Xen. Hell. II, 3, 56). Similiter atque Ephorus de Theramene iudicavit Aristoteles Ἀθην. πολιτ. 28—37, moderatum tamen populi imperium (τὴν πάτριον πολιτείαν) potius quam absolutum eum expetivisse docuit.

Praeter hanc Theramenis laudem Fricke (p. 12), quod populus et contionatores propter repudiatas Lacedaemo-

niorum condiciones (XIII, 53) et condemnatos praetores (XIII, 102, 4 sq) acriter vituperantur, Theopompi esse arbitratus est. At mea quidem sententia is, qui Atheniensium rebus favebat et, quod bello Peloponnesiaco urbs illa clarissima e loco deiecta erat, dolebat, maxime habuit, cur eis succenseret, qui sua culpa illam ad exitium vocaverant. Nec talia abhorrere ab Ephoro videas XIII, 5, 3. XIV, 86, 1 sq, XV, 23, 4, quae illius esse Fricke ipse quoque statuit, maximeque XII, 39, 3, ubi Ephoream originem Diodorus testatur: ὁ δὲ Περικλῆς εἰδὼς τὸν δῆμον ἐν μὲν τοῖς πολεμικοῖς ἔργοις θαυμάζοντα τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας διὰ τὰς κατεπειγούσας χρείας, κατὰ δὲ τὴν εἰρήνην τοὺς αὐτοὺς συκοφαντοῦντα διὰ τὴν σχολὴν καὶ φθόνον κ. τ. λ. Item quod hominis Lacedaemonii virtus laudatur 51, 6 (Mindari) et 99, 5 (Callicratidae), nihil inde cum Breitenbachio (p. 71) efficiendum esse supra (p. 9) demonstrare conatus sum.

Porro orationis vim atque incitationem maiorem in hac parte quam in ceteris Fricke (p. 13) cognoscere sibi visus est. Ego tamen non magis quam Volquardsen talia discerno. Nam quod Fricke Diomedontis verba pauca (102, 1 sq.) et Endii concisam orationem (52) opponit Gylippi ambagibus (28 sqq.) et ipsius hominis Spartani, cur, si modo apud Diodori auctorem eadem iam dissimilitudo erat, Ephorum negabimus, ubi forte Laconum breviloquentiam effingere intenderit (52, 2: συντόμως καὶ λακωνικῶς διελέχθη), anguste et presse membra membris opponere potuisse aut multo minui animorum motum, si Diomedontem verbose loquentem faceret, sensisse?

Videamus nunc, num ullum vestigium appareat, quo Diodorum ab Ephoro ad Theopompum transisse significetur. Sed dixerit quis spectandum esse, nonne omnino Diodorus narrationes complures contexuerit. Quod neque in ea parte, quam ego tractavi, usquam animadverti neque in ceteris, quod quidem sciam, visum est. Nam ubi confert, quid inter duo auctores discrepet (XIV, 11, XV, 60), alter

est is, quem continenter sequitur, alterius tabula quadam usus est secundum temporum ordinem conscripta, ut, cui quidque anno tribuendum esset, reperiret et res aliis locis gestas illius descriptioni paucis verbis adderet.

Inde igitur, quod praeter auctorem potissimum tabulam istam chronologicam adhibuit, modo autem in Graecia, modo in Sicilia narratio eius versatur, causam repeto, cur eadem bis variato ordine enarraverit 34, 1—3 et 36. Nam e cap. 33 fine et 34 initio concludere licet tabula ista inspecta Diodorum adductum esse, ut de rebus Graecis dicere inciperet. Itaque secundum temporum rationem orditur a sociorum defectione. Non sane, quae sequuntur, ex hoc libello sumpta esse docet pravus rerum ordo (ut omittam Samios falso nominatos, de Chiorum defectione cf. Thuc. VIII, 14, 3, de Byzantiorum VIII, 80); sed cum eadem offerantur, quae 36, Diodorus, quae brevia ex Ephoro de illis temporibus notaverat, neglegenter hoc loco composuisse putandus est. Et postquam de Sicilia narrare perrexit, illius rei oblitus iterum, quae in Graecia annis 413—411 gesta essent, summatim cap. 36 commemoravit non e temporum ordine, sed e sententiarum ratione singula collocans. Itaque ad cladem Siciliensem et fractam populi fiduciam immutationem rei publicae annectit, in quo probulos, qui dicuntur, confundit cum quadringentorum virorum senatu. Qui cum rei publicae praeessent, clades ad Oropum accepta in periculum summum civitatem adduxit (cf. Thuc. VIII, 96); atque ex iis belli offensionibus repetitur sociorum defectio, qua non solum Atheniensium opes minutae, sed etiam adversariorum auctae sunt; horum socius praeter illos factus est Persarum rex, ut summo in discrimine res Atheniensium essent.

Similiter haec in operis Theopompei prooemio composita fuisse Frickio (p. 15 sqq) et Natorpio (p. 3 sqq) videntur, ut splendida appareret Alcibiadis actio. Et quae de ingenio eius et de gestis prioribus ille introductionis

causa exposuisset, eorum reliqua esse Diodori verba opinantur (37, 1. 2). Aliaque eiusdem expositionis vestigia apud Cornelium et Iustinum Fricke invenisse sibi visus est, id quod ego minime concedo. Sed paulum ab hac re digrediamur oportet, ut, solusne Theopompus Alcibiadi tam multum tribuerit, videamus [1]). Atque Cornelius Alcib. cap. 11 illum infamatum a plerisque a tribus gravissimis historicis summis laudibus elatum esse affirmat, a Thucydide, Theopompo, Timaeo. Quod de illo, quem primum nominavit, dici non potest sine ampla exceptione; num de ceteris duobus simplicius, nescimus. Id sane verisimile est illius ingenium et belli decora Theopompum laudavisse, quoniam eius in ceteros maledicentia huic iudicio opponitur. Num vero mores quoque et vitam effrenatam probaverit, valde dubito, cum, quantopere alioquin integritatem et continentiam quaesiverit, reputem. Cornelius isto loco, quaecumque de Alcibiade tradiderat et pauca, quae sequuntur, ad Theopompum et Timaeum refert. Quo testimonio summatim scripto non cogimur omnia, quae in Graecia Alcibiades gessisse dicitur, ad Theopompum referre. Atque haec universe dicta, quae in Thucydidem saltem non satis cadunt, suspicionem mihi movent, num re vera Cornelius illos auctores ipsos inspexerit. Id certe in singulis rebus anquirendis videbimus non omnia, quae de Graeciae rebus narrantur, ex eodem saeculi quarti fonte fluxisse. Itaque Cornelii istis verbis inniti quaerentem Diodori et Plutarchi auctores mea quidem sententia non licet. Quomodo Ephorus de Alcibiade iudicaverit, a nullo traditur. Id tantum iam nunc dici potest (cf. Diod. XIV, 11) illius vitae finem Ephorum non ita laude amplificavisse ut Plutarchi et Cor-

---

[1]) Quomodo Alcibiadis memoria quarto quoque saeculo viguerit et narratiunculis variis paulatim accreverit, demonstrat. *Philippi:* Über einige Züge aus d. Gesch. des Alcib. Histor. Ztschrft. N. F. XXI, 1887 p. 398 sqq.

nelii auctorem. Quid igitur? quod apud Diodorum (XIII, 37 sq) sola Alcibiadis actione Atheniensium res iam paene perditas denuo exsurrexisse legimus, num hanc partem Ephoro abiudicemus necesse est? Sane Thucydides praeter Alcibiadis reditum multum tribuit civium concordiae, quae moderato populi imperio restituta esset (VIII, 97) et recreatis animis iacentibus post proelium ad Cynossema absente Alcibiade factum (VIII, 106); quanti tamen momenti eius discessus fuisset, et ipse commemoravit VI, 15. Post Thucydidem ii scriptores, qui magis delectandis quam docendis mentibus studebant et ab hominibus singulis potius, quam ex universis condicionibus rerum causas repetebant, illius vim nimis amplificaverunt. Quorum in numero iam fuit Isocrates (cf. oratt. V, 58—61 et XVI); cur Ephorum eius discipulum idem fecisse non censebimus? An alia sunt, quibus hanc quoque partem Ephoro tribuere vetemur?

Atque quod trecentarum navium subsidium a Persis paratum esse dicitur, cum Thucydides (VIII, 87, 3) centum quadraginta septem tantum commemoret[1]), nusquam Theopompum numeros magnos praetulisse animadvertimus; apud Ephorum autem id saepius invenitur (cf. Diod. XIII, 54, 5. 60, 5. 80, 5. XIV, 54, 5). Atque hic ipse numerus trecentorum aut aliquoties trecentorum nonnumquam, ubi de Persarum copiis agitur, exstat in iis partibus, quae ad Ephorum ab omnibus referuntur, ut XI, 3, 7. 9. 74, 1. 75, 1. 77, 1. XV, 2, 1. 41, 3.

Una cum his trecentis navibus semper Pharnabazus falso nominatur pro Tissapherne. Quod cum ceteris locis repetatur, tum 46, 6 tantopere cum tota sententiarum ratione contextum est, ut Diodori neglegentia factum esse non concedam; sed apud eius auctorem iam Pharnabazum Tissaphernis loco positum fuisse aliis quoque indiciis infra

---

[1]) Plutarchus Alcib. 25 cum Thucyd. convenit rotundato tamen numero centum quinquaginta navium.

probabitur. Quod utrum Ephorus peccaverit an Theopompus, per se non liquet.

Porro, quod Atheniensium angustiae et hominum pravae exspectationes exponuntur, quo magis legentium animi moveantur rerum commutatione per Alcibiadem facta, haud alienum esse ab Ephoro tale scriptoris artificium inde concludas, quod simillima huius ratione ad pugnam Leuctricam efficaciter animi componuntur (XV, 51). Nec vero inde, quod Alcibiadis ingenium et nobilitas commemorantur, efficitur eum a Diodori auctore primum hoc loco nominatum esse. Similia enim XII, 84 annotantur, quamquam iam 79 et 81 eius mentio facta erat, et infra repetuntur XIII, 68, 5. Eademque Diodori consuetudo apparet XII, 38, 2. 39, 5. 40, 5 (de Pericle) XIV, 11, 2. 12, 8. 19, 2 (de Cyro).[1])

Populi imperio restituto praetores alii mittuntur (38, 3 sqq); tum utraque classis ad Hellespontum vehitur. Haec similiter Thucydidi maximam partem narrantur; itemque in describenda pugna ad Cynossema facta (39, 3 — fin., 40) congruunt intervallum quinque dierum, classium dispositio, etsi Atheniensium duces e contrario collocantur, navium captarum enumeratio. Sed pugnantium motus ad exemplar vulgare, non e rerum singularum cognitione descripti sunt; in quibus nulla res Thucydidi additur, nisi quod viginti quinque naves repente Atheniensibus subvenisse dicuntur. Quod Thucydides commemorat Κυνὸς σῆμα, id a Diodoro Ἡκάβης μνημεῖον nominatur. Sequitur, sicut apud Thucydidem, Atheniensium ad Cyzicum expeditio; quae autem de Epiclis casu cap. 41 narrantur, apud illum non exstant. Hoc loco testis citatur Ephorus, cui non modo haec, quae proelium illud secuta sunt, cum Natorpio (p. 21 sqq) attribuo, sed totam pugnae descripti-

[1]) Quae de Agesilao XV, 31, 3. 4 comprehenduntur, iam Ephori videntur fuisse.

onem. Quid enim causae fuisse putabimus, cur Diodorus ad narrationem suam parum definitam etiam duos auctores adhiberet? Accedit, quod Theopompum hanc pugnam apud Thucydidem iam descriptam denuo tractavisse verisimile non est. Thucydides, postquam, quae ad pugnam navalem pertinerent, exposuit, ipse quoque ad Alcibiadem deflectit (VIII, 108). Qui secundum Diodorum (41, 4) tum primum in suorum conspectum redisse videtur; quare § 5 nonnulla commemorantur, quae in priore eius ad classem adventu locum habent (cf. Thuc. VIII, 81, 2), quocum iste a Phaselide reditus confunditur; itaque tum demum Diodorus (42, 1. 2) eius exsilium sublatum esse exposuit, quod Thucydides iam antea (VIII, 97, 3) commemoraverat. Sequitur Alcibiadis in Cariam expeditio, de qua amborum narrationes inter se conveniunt. Congruit deinde Antandriorum defectio, dummodo pro Pharnabazo rursus Tissaphernem substituas. Et quoniam hac re Thucydidis opus terminatur, Diodorus quoque § 5 sq rerum huius anni finem facit atque Thucydidis historiam desinere, Xenophontem autem et Theopompum ab eius exitu sua ordiri annotat.

Iam igitur ut respiciamus ea Diodori capita, quae adhuc cum Thucydide contulimus, persuadere mihi non possum talia praeposita fuisse Thucydidei operis continuationi. Quam qui confecit, ei breviter tantum praedicenda fuerunt, quae ad postera intellegenda maxime necessaria erant. Diodori vero auctor eodem modo, quo in partibus prioribus, Thucydidem in universum sequitur mutans et addens quaedam, sicut Ephorum fecisse scimus. Sed quamquam nullum adhuc vestigium invenimus, quo Diodorum ad Theopompum transisse indicetur, tamen in iis quoque partibus, quae sequuntur, videndum est, utrum ad Theopompum an ad Ephorum illius narratio probabiliter referatur.

Diodorus igitur, postquam de rebus Siciliensibus capp. 43 et 44 egit, 45, 1 ad Dorieum revertitur, de cuius

expeditione 38, 5 locutus erat. Quod sequitur proelium τὴν δευτέραν ναυμαχίαν τὴν περὶ Κυνὸς σῆμα a Theopompo dictum esse e Thucydidis vita anonyma (§ 5) discimus. Apud Diodorum hoc nomen non exstat, sed ad τὸ Δαρδάνειον pugna acerrima fuisse dicitur § 6. Accedit, quod proelio ad Cynossema priori hoc tam similiter narratur. Itaque eius descriptionem et ipsam ex Ephori opere manavisse verisimile est.

Et quoniam inde Xenophontis narratio incipit, accedamus nunc ad id, quod potissimum quaerimus. Xenophon igitur, cum Alcibiadem ubique primo loco posuisset — id, quod apparet, si eius narratio et Diodori conferuntur —, egregie aptus erat, quem *Plutarchus* sequeretur. Itaque huius descriptionem (Alcib. 27) inde a Καὶ κατὰ τύχην usque ad συνείχοντο cum Diodoro valde discrepare, cum Xenophonte ad verbum saepius congruere iam dudum cognitum est. Quare haec ad ipsum Xenophontem referre non dubito. Cum autem is simpliciter Peloponnesios fugisse tradat, Plutarchus, quid utrique Alcibiade appropinquante exspectaverint et quomodo falsa opinio eis erepta sit, exponit. Qui haec excogitaverit, eum Ephori exemplo incitatum esse Diodori verbis similibus (46, 3) probatur, sed id studuisse, ut etiam magis quam ille narrationis magnificentia legentium animos intenderet ac teneret. Eodem splendore deinde, quomodo Alcibiades victoriam paene iam partam hostibus eripuerit et acriter persecutus eorum naves corruperit, explicatur. Quae apud Ephorum locum non habuisse Diodorus docet. Inde a verbis καὶ Φαρναβάζου Plutarchus Xenophontem rursus sequitur, nisi quod tropaeum positum aliunde attulit. Eum autem auctorem, quem praeter Xenophontem adhibuerit, qui huius narrationem amplificaverit Ephoro partim usus et vincere eum conatus, Theopompum fuisse postea magis elucebit.

de Plutarchea descriptione proelii ad Abydum facti.

Ceterum, quod Buechsenschuetz (Xen. Hell. u. Plut. N. Jahrbb. f. Phil. u. Pädag. 1871 p. 217 sqq) e verborum

compositione εἰς τοῦτο καιροῦ . . . ἐν ᾧ . . . . ἄχρι δείλης duas narrationes coniunctas esse concludit, ego Plutarchum tam sine mente ac ratione singula conglutinasse persuadere mihi non possum, sed eo illud factum esse opinor, quod quam plurima in unum enuntiatum cogere studuerit. Id vero Buechsenschuetzio assentior initium huius pugnae descriptionis : ἐκεῖ δὲ ἀκούσας κ. τ. λ., quod a re vera discrepat, a Plutarcho ipso ita conceptum esse, ut facile ad rem novam oratio laberetur et ad Alcibiadis rationes omnia referrentur neglecto rerum ordine.

de Alcibiadis captivitate. Item atque apud Xenophontem hanc pugnae descriptionem consequitur Alcibiadis captivitas (27 fin. 28 init.). De qua cum verba quoque mirum in modum inter se congruant, e Xenophontis ipsius opere ea manavisse statuo. Tamen hic quoque Xenophontis narratione ieiuna et simplici Plutarchus contentus non erat, sed Alcibiadem ad Tissaphernem venisse tradit θεραπείαν ἔχοντα ἡγεμονικὴν et, quare venerit, quare captus sit, interpretatur, cum Xenophon, quid satrapes excusaverit, solum afferat. Alcibiadem enim id studuisse docemur, ut, quantum apud suos valeret, ostenderet, illum, ut Lacedaemoniorum voluntatem sibi reciperet neve regis iram irritaret. Quae qui addiderit, eum Thucydidis historiam diligenter legisse existimo et quaedam ab hoc de simili rerum condicione relata narrationi Xenophonteae inseruisse. Nam Alcibiadem potentiae recuperatae admirationem Tissapherni inicere voluisse tradit Thucydides VIII, 82, 3. Itaque quod paulo post de rumore falso ab Alcibiade disperso narratur, ipsum quoque ortum esse opinor e Thuc. VIII, 81, 2 et 88. Et quoniam Plutarchum talia addidisse verisimile non est, quippe qui id tantum egerit, ut e rebus traditis maxime insignes eligeret, forma venusta comprehenderet, ad hominum indolem moresque referret, videamus, utrum Ephoro an Theopompo haec adiudicanda sint. Atque Ephorus, si modo ipse iam, ut ego existimo, Pharnabazum Tissaphernis loco posuerat

tradere non potuit Alcibiadem eum convenisse amicum esse ratum, qui paulo ante palam hostes adversus Athenienses adiuvisset. Deinde, id quod Fricke p. 68 iam demonstravit, Diodoro auctore (49, 3) Alcibiades e Lesbo arcessitur, ubi cum maiore navium numero fuisse videtur. Itaque Theopompum hic quoque Xenophontis narrationem exornavisse opinor.

Diodorus post proelium ad Abydum factum neglecto Alcibiade, quae aliis locis gesta essent, tradit et Theramenis maxime res cum studio persequitur. Quod ad optimatium fautorem revocare vetamur ipsis rebus, ut supra (p. 10) exposui. Sane, quae cap. 48 de Cercyrae incolis popularibus traduntur, apta non sunt, quae legentium animos iis concilient; sed eiusmodi multorum caedes non inauditae hominibus illius aetatis de popularibus in iis quoque partibus narrantur, quas Ephori esse omnes consentiunt, ut XIV, 86, XV, 40. 58. Inde, quod optimatium cum Lacedaemoniis, popularium cum Atheniensibus rationes ut novum quiddam commemorantur, non sequitur, ut Diodori auctor primum hoc loco de ea re locutus esse putandus sit. Talia enim iterum atque saepius a Diodoro explanari videas XIV, 10 et conferas, quae supra (p. 15) collocavi. 49, 2—6 et 50 sq. Alcibiades non ita praeest rebus agendis, ut apud Xenophontem, sed non minus ad eventum prosperum conferunt Thrasybulus et Theramenes. Quod non quadrat ad eam Theopompi imaginem, quam ipsi Fricke et Natorp cogitatione effinxerunt. Quae de Endii legatione dicuntur (52, 2 et 53), aliena non esse ab Ephoro p. 11 iam censui; nihilo magis autem Mindari praedicatio ei abiudicanda est (cf. p. 9), praesertim cum Atheniensium quoque fortitudo valde laudetur.

Quae *Plutarcho* opus erant, aptissima exstabant apud Xenophontem. Neque enim solum hic continuo Alcibiadem spectat, sed etiam ad eius impulsum omnia ducum consilia revocat. Itaque quin ea, *quae pugnam ad Cyzicum factam* *de Atheniensium ad Cyzicum victoria.*

praecedunt (cap. 28), ab ipso Xenophonte repetita sint, mihi dubium non est. Nam etsi rerum ordo mutatur, cum Plutarcho auctore Alcibiades iam in Hellesponto milites alloquitur, tum demum ad Propontidem naves deducit, tamen orationis summa isdem fere verbis comprehenditur. Non obstat, quod, quae de pecuniae inopia Plutarchus significat, paulo secus conformantur; nec vero e verbis interiectis νὴ Δία orationem directam ei ante oculos fuisse concludemus (cf. quae docuit Buechsenschuetz p. 223); nam si ex oratione ipsis verbis exposita Plutarchus sua excerpsisset, explicari non posset, quare eadem, quae Xenophon, duo enuntiata afferret. Ephorum vero vel Theopompum ipsos quoque Xenophontis verba in opera sua transtulisse et occasionem componendae orationis artificiosae dimisisse, cum Theopompus praesertim Alcibiadem milites adhortantem inducere antea non potuerit, persuadere mihi non possum. Mutatum autem rerum ordinem, propter quem Breitenbach (Xen. Hell. Buch I verglichen mit Diod. u. Plut. Rhein. Mus. N. F. 27, 1872 p. 500 sqq) Xenophonte ipso Plutarchum usum esse negat, Buechsenschuetz l. l. praeter illum auctorem alterum adhibitum esse opinatur, hinc maxime repeto: Plutarchus secundum Xenophontem (I, 1, 11), postquam Alcibiadem ad suos revertisse dixit, verbis καὶ πυθόμενος transit ad postera. Cum autem Xenophonte auctore primo nihil constet nisi Lacedaemonios Cyzicum versus profectos esse, post Atheniensium in Propontidem adventum demum (§ 14) Mindarum cum classe, Pharnabazum cum exercitu pedestri Cyzici esse nuntietur, Plutarchus, cuius haec distinguere et navigationis singula enarrare non intererat, in unum duo facta cogit ita, ut Alcibiades statim Mindarum et Pharnabazum Cyzici esse comperiat. Inde vero, quod Lacedaemonii urbis moenibus innisi a pedestri quoque exercitu magno adiuti sunt, Xenophon et secundum eum Plutarchus adducuntur ad demonstrandum proprium illius expeditionis munus, ut et navibus

et in terra et contra moenia contenderetur. Deinde Plutarchus, postquam neglecto rerum ordine paucis verbis Alcibiadem Proconnesum profectum esse addidit, item atque Xenophon (§ 15), quae propter hostium propinquitatem ille constituisset, commemorat, nisi quod Xenophon, ne navium numerum hostes comperirent, Plutarchus, ne advehi Athenienses cognoscerent, Alcibiadem cavisse refert. A Xenophontis Plutarchique narrationibus valde differt Diodorus.

In *ipsa pugna* describenda cum Diodoro ad verbum partim congruit Polyaenus strat. I, 40, 9, etsi indiligenter Pharnabazum Athenienses adiuvisse tradit. Ad Diodori auctorem describendum nihil inde proficimus; nam quod et istic et apud Frontinum strat. II, 5, 44 Alcibiades omnia egisse videtur, ceteri non nominantur, e strategematis natura repetendum est. Ab Ephoro autem Therameni saltem non minores quam Alcibiadi partes assignatas esse Diodori verbis cognoscitur.

De Plutarchi narratione (cap. 28) uberius disseruerunt Buechsenschuetz p. 223 sqq., Breitenbach: Xen. Hell. u. Plut. et in commentario Hellenicis addito. Mihi hoc spectandum esse videtur: cum Xenophonte prorsus discrepat Diodorus, primo convenit Plutarchus, cum et ipse imbres commemorat, quibus remissis hostium naves extra portum visae essent. Sane Xenophontis verba simplicia amplificantur, cum tonitrua tenebraeque exstitisse dicuntur, et quomodo haec Atheniensibus profuerint, milites commoverint, Alcibiadem, quin proelium pararet, non impediverint, exponitur. Plutarcho tamen auctore Lacedaemonii non procul a portu, sed ante portum tantum versati sunt; itaque non protinus ab hoc perfugio intercluduntur, sed Alcibiades, ne confugerent, duas classis partes invisas hostibus relinquit, ipse cum tertia parte ad pugnam illos provocat. Quare Plutarchus convenit cum Diodoro, nec tamen omnino convenit. Secundum hunc enim Lacedae-

monii in urbe ipsa morantes tam longe a terra abducendi erant, ut circumveniri possent; propterea Alcibiades vitata pugna fugam simulavit. Plutarchus contra Alcibiadem id intendisse refert, ut hostes iam extra portum versatos pugna implicaret et tantisper teneret, dum naves relictae accurrerent. Ita fieri potuit, ut Alcibiades διέκπλουν illum faceret, cum Diodoro auctore assequatur tantum hostium naves, secundum Xenophontem ad oram decertantes circumvehatur; ceterum cum hoc conveniunt numerus viginti navium, Alcibiadis in terram egressus, cui Mindarus obnixus interficitur; at praeter Lacedaemonios Pharnabazi copiae sicut apud Diodorum Atheniensibus adversantur, quas Xenophon hoc loco non commemorat; cum tamen secundum Diodorum Pharnabazus Athenienses, ne longius insequantur, deterreat, Plutarchus ipsum quoque fugatum esse narrat. Ceterum in proelio terrestri nihil Diodoro simile invenimus, quoniam Plutarchi non intererat Theramenis aliorumque gesta narrare; Alcibiadi omnia tribui non est, quod miremur. Verba autem ἐκλιπόντος τοῦ Φαρναβάζου καὶ τῶν Πελοποννησίων διαφθαρέντων ad Xenophontem rursus prope accedunt, qui quae singula postea refert, a Plutarcho paucis comprehenduntur, quae Spartam nuntianda ab Atheniensibus intercepta esse narrat, ad verbum ab illo translata sunt.

Videmus Plutarchi descriptionem ita compositam esse, ut Xenophontis narrationi exornatae et amplificatae quaedam a Diodori auctore repetita adderentur. Haec tamen non integra translata sunt, sed partim in maiorem Alcibiadis gloriam aucta, partim ad ceteram narrationem accommodata ita, ut relatio rerum exsistat nova et propria et, quamvis non omnia liqueant, satis contexta. Et quoniam compositio talis et inventio scriptoris rerum gestarum magis est quam vitae et morum, Theopompum opinor et Xenophonte usum et Ephoro sua addidisse, ut narrationem novam et ambobus magnificentiorem ederet. Praeter

Theopompum autem ipsum quoque Xenophontem a Plutarcho adhibitum esse statuere licet.

de exercitus victoris spiritu.

Quomodo Alcibiadis copiae cum Thrasylli exercitu hibernaverint (cap. 29), similiter atque a Xenophonte I, 2, 15 sqq et partim isdem verbis (ἀήττητοι . . . . ἡττημένοι, ἄχρι σκότους = μέχρι σκότος ἀφείλετο) describitur. Sed in maius feruntur Xenophontis verba, cum Thrasylli milites πολλάκις ἡττημένοι esse dicuntur et singula depingendo narratur Alcibiadis exercitum se suumque imperatorem laudibus extulisse neque gymnasia neque castra cum illis communicasse, Pharnabazo victo tropaeum constituisse. Persarum copiae pedestres utrum a Xenophonte quoque commemoratae fuerint an a Plutarchi auctore additae sint, in medio relinquo. Victoriae e Thrasyllo partae monumentum Ephesios τὸ χαλκοῦν τρόπαιον exstruxisse neque apud Xenophontem legitur neque ad Diodori fontem referri potest; hic enim (64, 1 sq) cum Xenophonte convenit excepto navium numero et ipse quoque duas clades commemorat. At Theopompum e Chio insula finitima natum tropaeum illud ut notum aliquid significasse, Plutarchum eius verba retinuisse verisimile est. Ad eundem autem auctorem haud scio an, quae addita esse supra exposui, et, quae sequitur, Alcibiadis in sacerdotes clementia revocanda sit. Simillima illa Xenophonti ab ipso repetita esse existimo. Plutarchi vero proprium sine dubio est, quod non ad temporum ordinem res enarrantur, sed, qui ad Alcibiadem pertinet, militum spiritus primo loco ponitur et sententiarum vinculo cum proelio ad Cyzicum commisso conectitur, cur autem Thrasylli copias despexerint, deinde strictim exponitur.

Diodorus in proximis quoque capitibus Therameni maiora tribuit quam Xenophon. Eo enim auctore (I, 1, 22) Theramenes et Eumachus cum navibus triginta Chrysopoli relicti sunt, ut locum navesque transvehentes custodirent et hostibus, si possent, detrimentum afferrent; neque ante Chalcedonii in periculum vocantur, quam Alcibiades et

Thrasyllus advenerunt. (I, 3, 2) Apud Diodorum (64, 3) Theramenem solum ibi relictum esse legimus cum navibus sive quinquaginta sive septuaginta, ut Chalcedonem Byzantiumque obsideret; iamque incursionibus Chalcedoniorum opes minuebat, cum illi copias cum eo coniunxerunt (66. 1) Est hoc novum Ephori indicium nec minus, quod iudices Athenienses per Anytum primum corrupti esse dicuntur (64, 6) quodque Atheniensium fortitudo laudatur (65, 2). Factionum certamina, quae Chii exstiterunt, sine ira ac studio exposita sunt (65, 3 sq) neque, ut Natorp p. 29 existimat, quia Chiorum res auctoris animum movebant, sed quia de Cratesippida nauarcho agebatur.

de Chalcedonis obsidione

Sequitur communis Chalcedonis obsidio, ad quam Xenophon paucis tantum rebus interiectis ab Alcibiadis expeditionibus Hellesponticis transierat (I, 3, 2). Hic quoque *Plutarchus* (cap. 29 fin; 30 init.) proxime ad illum accedit eodemque verbo λεία utitur, ubi Chalcedonios ad finitimos sua abstulisse narrat, ut ipso Xcnophonte eum usum esse existimem. Nam harmostem cum Lacedaemoniorum praesidio in urbe fuisse apparebat, ut Buechsenschuetz iam vidit, Hell. I, 3, 5; κήρυκα autem προπέμφαντα Alcibiadem postulatum Bithynis denuntiasse planum erat. Num Ephorus de his rebus locutus sit, dubito, cum Diodoro auctore (66, 1) Chalcedonii iam diu in angustiis fuerint. In proelio cum Hippocrate et Pharnabazo commisso alios praetores non nominari, Alcibiadem omnia dirigere non mirabimur. Quod vero Pharnabazus turpiter fugisse dicitur, cum Xenophon eum non victum, sed frustra ad Lacedaemonios pervadere conatum recessisse tradat, ex altero auctore insertum esse videtur eodemque, nisi fallor, qui ad Cyzicum quoque Mindarum occubuisse, Pharnabazum fugisse dixerat. Idem exaggerandi studium in eo cernitur, quod multos cum Hippocrate mortuos esse contenditur. Xenophon enim eos, qui circa Hippocratem fuissent, in urbem confugisse narrat. Sane apud Diodorum quoque alios

cecidisse, alios vulneratos in urbem pervenisse legimus; Pharnabazi tamen ab eo mentio non fit. Xenophontis igitur narrationi quaedam e Theopompo addita esse opinor.

Inter ea, quae sequuntur, Xenophon (I, 3, 8 sqq) fusius de pactione locutus memoratu dignum iudicat Alcibiadem post ceteros et ipsum iureiurando astrictum esse; hoc loco Alcibiadem Selybriae fuisse, deinde Thracibus multis adiunctis Byzantium vectum esse, inde Chalcedonem venisse comperimus; tum demum de Byzantii obsidione agitur: videmus, quantopere Xenophon Alcibiadem spectaverit. Diodori (66, 3) auctor non pauca hic et verba quaedam a Xenophonte mutuatus est; sed cum Chalcedoniis ipsis, non cum Pharnabazo pactionem initam esse tradit. Praeterea alio ordine atque Xenophon, quae gesta essent, narravit. Post pactum enim inter oppidanos et τοὺς περὶ Θηραμένην initum — nam Theramenes hic quoque solus appellatur — primo horum inceptum tractatur, deinde Alcibiadis expeditio, qui postea ad Byzantium se illis coniungit. Plutarchus Alcibiadis gesta persequens Thracum, qui ultro eum secuti essent, in transitu postea mentionem facit, Selybriae occupationem autem uberius describit (cap. 30). De qua apud Xenophontem nihil invenimus, apud Diodorum (66, 4) summatim dictum: Σηλυβρίαν διὰ προδοσίας εἷλεν; et quoniam Plutarcho similia sunt verba χρήματα πραξάμενος (λαβὼν) et φρουρὰν κατέλιπεν (ἐγκαταστήσας), Ephorum hic subesse veri dissimile non est, praesertim cum consiliorum, quibus Selybriae Plutarcho, Byzantii Diodoro (67, 5) auctore Alcibiades se suosque servat, quaedam similitudo sit, id quod Natorp p. 30 iam notavit. Cum tamen, quae cum Plutarcho conferuntur, breviora sint, quam ut certi quicquam perspici possit, id quoque statuendum relinquitur Theopompum Ephoro similia rettulisse.

de Selybriae occupatione.

Sequuntur pactionis illius condiciones similiter atque a Xenophonte relatae, cum Pharnabazus, non ipsi Chalcedonii, eam inisse dicitur, sed mutato ordine et additis

verbis τὴν δὲ Φαρναβάζου χώραν μὴ ἀδικεῖν; deinde, sicut apud Xenophontem, Alcibiadis iusiurandum omissa priore ad Byzantium statione, quae Plutarcho nullius momenti erat.

de Byzantii expugnatione. Nec minus, quae de Byzantii expugnatione narrantur (cap. 31), e Xenophonte (I, 3, 14 sqq) magnam partem fluxerunt. Nam inter eos, qui urbem tradiderint, Anaxilaus atque Lycurgus nominantur et, quomodo ille Lacedaemone se defenderit, explicatur. Rursus Xenophontis narratio amplificata est; nam Anaxilaus eiusque socii sine ullo suo commodo ea condicione urbem tradidisse dicuntur, ne quisquam Byzantius necaretur aut eiceretur, id quod iam initio significatur verbis ἐπὶ σωτηρίᾳ παραδώσειν τὴν πόλιν. Et quae Anaxilaum defensionis causa protulisse Xenophon quasi praeteriens commemorat (§ 19), apud Plutarchum in fine istius capitis ex arte formantur. Nam et in verbis, ut membra inter se respondeant, efficitur et res ita dilatatur, ut Anaxilaus oppidanorum miseriam verbis depingat et optimos Lacedaemoniorum auctores afferat, qui, quid utile esset patriae, solum prospexerint. Cum tota oratione tum his verbis studium subtilius opponendi singula, luminibus novis sermonis distinguendi cernitur. Sententia ista, qua Lacedaemoniis iustum nihil esse, nisi quod patriae prodesset, contenditur, rursus invenitur cum vituperatione coniuncta vit. Ages. 37 fin., ubi dubitari potest, utrum Plutarcho ipsi tribuenda sit an Theopompo. Huic autem quin hoc loco, de quo agimus, debeatur una cum omni orationis amplificatione, dubium mihi non est, praesertim cum ad Alcibiadis biographum ea res nihil pertinuerit. Nam de Ephoro cogitari non posse efficitur e Diodori narratione plane diversa. Neque enim hic, ut suorum angustias levarent, coniuratos urbem tradidisse refert neque propter eorum condiciones incolarum vitae Athenienses pepercisse, sed consilium deditionis, cum Clearchus aliquamdiu abesset, initum esse dicit, quia eius imperium grave Byzantiis odio fuisset (optime id convenire

Ephoro vid. Diod. XIV, 82, XV, 28); parsurum autem se esse incolis ideo Alcibiades in rerum discrimine pollicetur, ut ad suas partes eos traduceret. Sed qua belli arte usi Athenienses in urbem invaserint, item atque a Diodoro narratur. Ceterum a Polyaeno quoque strat. I, 47, 2 illa etsi depravata describitur eandemque a Frontino III, 9, 6 significari verisimile est[1]). Cum enim Xenophonte auctore Athenienses sine ullo apparatu a coniuratis porta quadam recepti et urbe nullo impugnante potiti sint, apud Diodorum Plutarchumque haec legimus: Athenienses, cum discessum in Ioniam faciendum simulavissent, nocte reversi altera pars ad portum strepuerunt et clamitaverunt, quo cum incolae perterriti cursu ferrentur, alteri ad moenia collocati clam a consciis intromissi sunt; sed et ad naves et in urbe multi acriter restiterunt. Quod vicissim ab altero quaedam commemorantur, ab altero omittuntur, nihil refert; at de fine pugnae aliquantum differunt. Secundum Diodorum enim Athenienses nihil profecissent, nisi Alcibiades nullam se iniuriam oppidanis illaturum esse pronuntiavisset; qua re commoti hi una cum Atheniensibus Lacedaemonios impugnabant ita, ut pars maior eorum caderent, quingenti fere caperentur. Contra Plutarchus per vim Athenienses superiores discessisse tradit, quorum cornu dextro Alcibiades, sinistro Theramenes praefuisset, et hostium ad trecentos vivos comprehensos, Byzantiorum autem nullum post pugnam occisum aut expulsum esse. Quod de duobus cornibus parum accommodate ad nocturnae inter vicos pugnae naturam dicitur, haud scio an Ephoro tribuendum sit — neque enim obstat Diodorus —, praesertim cum Theramenes rursus in hac actione emineat. Ephorum enim existimo, sicut consueverat, et navale proelium depinxisse, id quod vestigiis quibusdam apud Diodorum indicatur, et terrestre ita, ut duo cornua distingueret. Sed etiamsi

[1]) cf. *Gundermann:* quaest. de Iuli Frontini strateg. libris, Jahrbb. f. Phil. u. Päd. suppl. XVI, 1885 p. 357.

numerorum discrepantia librarii errore orta sit, manet tamen diversa illa ratio partae victoriae. Apud Plutarchum ea accommodata esse videtur ad cetera, quae e Xenophonte fluxerant. Nam si Alcibiades Byzantiis se parsurum esse iam antea consciis promiserat, opus non erat ad explicandam eius clementiam pronuntiatio illa inter pugnam facta. Praeterea honestius erat vi victis veniam dare, quam concessione quadam victoria potiri. Ceterum in hac parte Diodoro simili a Xenophonte Megarensium et Boeotorum commemoratio repetita esse videtur.

Videmus Xenophontis narrationi auctae Ephorea quaedam inserta esse, sed ita mutata, ut omnia inter se conveniant. Et quoniam ex hac opera nihil ad Alcibiadis vitam moresque insigne redundavit, sed rerum gestarum narratio sola fructum cepit, Theopompum opinor Xenophonti et Ephoro sua addidisse, Plutarchum autem usum esse Theopompo; num ipso quoque Xenophonte, hic cognosci nequit.

de Alcibiadis reditu.

Ad considerandum Alcibiadis reditum Plutarchi non intererat, quod de ceteris eius expeditionibus Xenophon I, 4, 8 sqq. tradiderat neque, quod de Hellesponto custodiendo Ephorus exposuerat (cf. Diod. 68, 1. 2); sed inde orditur (cap. 32 init.), ut, quare tum redire Alcibiades cupiverit, explicet — auctorem quaerere in hac propria Plutarchi provincia supervacaneum est —, deinde redeuntium pompam depingit. De qua cum Xenophontis narratio simplex et sicca parum apta esset biographo, Ephorus magnifice locutus erat, nec minus Theopompum eam celebrasse verisimile est; id saltem, ut infra videbimus, hic quoque tradidit cunctam classem Alcibiade duce in Piraeum una vectam esse. Quod etiam Plutarchus excepit et sicut Diodorus triremes Atticas spoliis ornatas esse refert ducentarumque navium numerum exhibet, qui praeterea invenitur apud Cornelium Alcib. 5, 5 et Iustinum V, 4, 8. Cum tamen apud hos et Diodorum tot triremes captas victores

secum duxisse dicantur, a Plutarcho plane inter hostium naves perditas et captas distinguitur et συναμφοτέρας ducentas fuisse affirmatur. Haud scio an hic corrigentem habeamus Theopompum. Cui utrum cetera quoque, quae attuli, debeantur an ab Ephoro partim repetita sint, in medio relinquo. Amborum enim opera et insuper Xenophontis hoc loco se inspexisse Plutarchus ipse declarat tali modo, ut hos tres plurimum auctoritate valuisse apud eum cognoscamas. Horum silentio nixus Duridis Samii descriptionem inepte exaggeratam repudiat; nec satis habuit illorum silentium ostendere, sed etiam ipse reputando perspexit, quam non accommodata esset descriptio illa ad Alcibiadis, quae tum fuisset, vitae condicionem et quantum contra pugnaret, quod ille, quomodo cives sui se excepturi essent, metuisset. Hoc ad Xenophontem ipsum referre licet, quocum Plutarchus in verbis etiam congruit: στὰς ἐπὶ τοῦ καταστρώματος, itemque Εὐρυπτόλεμος ἀνεψιὸς et ceteri φίλοι καὶ οἰκεῖοι commemorantur.

Alcibiadis in urbem ingressus non secundum Xenophontem describitur, qui simpliciter amicos nihil infesti admissuros fuisse docet. Quae hic populum colloquentem et quae Alcibiadem postea contionantem facit, omnia in eo vertuntur, utrum iure an iniuria eiectus fuerit.

Plutarchus narrationem exornatam secutus in cap. 32 parte altera simillimus est Cornelio (Alcib. 6), id quod Natorp p. 35 iam demonstravit. Cum autem hic eundem Diodori fontem fuisse opinetur, mihi ab eo Plutarchus et Nepos nonnihil differre videntur. Diodorus enim plurimos et liberos et servos, ut Alcibiadem viderent, accurrisse et urbem vacuam hominibus fuisse dicit. Argutius autem Plutarchus et Nepos rem exprimunt, cum, quamquam ceteri quoque praetores reverterentur, nullum eorum a vulgo conspectum esse affirmant. Deinde uterque, non Diodorus, de coronis oblatis (de taeniis praeterea solus Cornelius) loquitur. Tum παρέπεμπον idem est ac *prosequebantur,*

cum Diodorus scribat ἐδεξιοῦντο; et quae cives deliberant: μνήμη πρὸς τὴν παροῦσαν εὐτυχίαν τῶν πρόσθεν ἀτυχημάτων = *et adversas superiores et praesentes secundas res accidisse eius opera;* λογιζομένοις ὡς οὔτ᾽ ἂν Σικελίας διήμαρτον οὔτ᾽ ἄλλο τι τῶν προσδοκηθέντων ἐξέφυγεν αὐτοὺς ἐάσαντας Ἀλκιβιάδην ἐπὶ τῶν τότε πραγμάτων καὶ τῆς δυνάμεως ἐκείνης = *itaque et Siciliae amissum et Lacedaemoniorum victorias culpae suae tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent*, εἰ νῦν τὴν πόλιν παραλαβὼν ὀλίγου δέουσαν ἐκπεπτωκέναι τῆς θαλάττης . . . . οὐ μόνον γε τῆς θαλάττης τὸ κράτος ἀποδέδωκεν, ἀλλὰ καὶ πεζῇ νικῶσαν ἀποδείκνυσι πανταχοῦ τοὺς πολεμίους = *Neque id sine causa arbitrari videbantur. Nam postquam exercitui praeesse coeperat, neque terra neque mari hostes pares esse potuerant.*

Summa igitur sententia haec est: volgus non modo gaudebat Alcibiadis reditu, sed etiam se ipsum accusabat, quod res secundas olim temere perdidisset. Contra apud Diodori (68, 4—6) auctorem expositum fuisse videtur, quantam in spem et populares et optimates adducti essent suo commodo rei publicae formam mutatum iri, quoniam sibi utrique favere Alcibiadem putarent; id vero pariter omnibus persuasum fuisse melius successuras esse res bellicas. Quod ut explicetur, iterum praeclara illius indoles celebratur. Quod verba ἀπονενοημένως συνταράξοντα τὴν πόλιν auctorem studiis evertendae rei publicae non favisse indicant, non abhorret ab Ephoro, quem tota contemplatio redolet quasi ad formulam quandam elaborata et tam remissa, ut neutri factioni Alcibiades annumeretur. Quare si ab Ephoro Diodorus sua percepit, apud Plutarchum et Nepotem Theopompum subesse statuemus. Quod si ita est, Theopompo auctore item atque Ephoro praetores una domum revertisse apparet.

Quod de Critiae rogatione traditur (cap. 33 init.), ex eius elegiis manavisse Plutarchus testatur. Per quem tamen ipse acceperit, nescimus nisi cogitari non posse de Ephoro,

quoniam Diodorus 38, 2. 42, 2 Theramenem revocandi Alcibiadis auctorem fuisse contendit. A verbis τότε δὲ ad cap. 33 finem non iam cum Cornelio Plutarchus convenit. Nam etsi *resacrare* ab omni parte congruit cum verbo Graeco ἀφοσιώσασθαι (id quod Natorp p. 26 admodum premit), tamen, quoniam termini sunt technici, eundem auctorem statuamus necesse non est. Immo Cornelii cap. 6 fin. et 7 init. ex eodem fonte manavisse videntur atque Diodori verba. Apud Plutarchum contra desunt pilae in mare praecipitatae, commemorantur praeter Eumolpidas Ceryces et Theodori verba; coronis deinde aureis Alcibiades ornatus esse dicitur et orationis prudentissime compositae argumentum indicatur; cuius sententiae summae, quibus suam fortunam Alcibiades queritur, de futuro autem tempore ad novas spes populum excitat, inveniuntur iam apud Thucydidem VIII, 81, ubi ad Atheniensium exercitum Samum ille advenit. Rursus Plutarchi verba ad Theopompum revoco, si modo Diodori auctor Ephorus fuit.

Cum in Theodori verbis tum in cap. 14 scientia subtilis et studium vehemens rerum ad sacra Attica pertinentium cernitur; et qualem rationem cum dis patriis Alcibiades habuerit, continuo spectatur. Cum igitur per sacerdotes ceteros devotio irrita fieret, Theodorus solus sibi quaedam excepit. Nec paucis scrupuli iniecti sunt, quia dea illa, quam praeter ceteros Athenienses colebant, inique ferre Alcibiadis reditum videbatur; is tamen de mysteriis celebrandis optime meritus est. Haec duo, quae proxime attuli, Xenophon locis disiunctis (I, 4, 12 et 20) breviter tetigit, apud alios non invenimus. Sed Plutarchus, quid Plynteria essent, declarat, omen adversum allegorice interpretatur, pompam Eleusiniam non solum rebus planis et usitatis depictam, sed etiam novis et certis auctam exhibet velut speculatores locis superioribus positos et praecursores luce prima praemissos esse narrat. Haec omnia Philochoro maxime convenire mihi videntur.

Uno enuntiato cum his rebus coniunctum nec tamen propterea eidem auctori necessario assignandum, quae de Alcibiade inopes speraverint, narratur. Sane num tyrannidem ille concupiverit, in medio relinquitur; sed infimi ordinis propugnator fuisse et primoribus tantum metum iniecisse putatur, ut eius removendi studio ducti, quaecumque vellet, concederent. Quod haud scio an ex eodem fonte, e quo cetera huius capitis pars, manaverit; de Ephoro certe non cogito, quia Diodoro (69, 3) auctore paulo post Alcibiadis reditum a populo laetitia commoto omnia ad eum delata et, quos volebat, praetores creati sunt.

de expeditione Andria

De expeditione adversus Andrios suscepta (cap. 35) Diodorus in universum cum Xenophonte convenit; pro Aristocrate tamen Thrasybulum nominat item atque Cornelius. Vel inde apparet et confirmatur eo, quod postea Thrasybulus Andri relictus esse dicitur, non errore nomina mutata esse. Et quoniam ceteros praetores una cum Alcibiade revertisse antea dictum erat, narrationem habemus sibi constantem, a Xenophonte diversam, secundum quem (I, 4, 9 sq) in Thracia Thrasybulus illis temporibus erat. Plutarchi verba ταῖς ἑκατὸν ναυσί ad caput prius (πληρουμένων ἑκατὸν τριήρων) spectant, id quod eundem, quem illic, auctorem fuisse indicio non est, sed ad Plutarchum ipsum revocari potest. Magis autem respiciamus oportet, quod inceptum illud non bene successisse Plutarchus, non Diodorus neque Xenophon, aperte indicat. Et cum hoc malo eventu contemplationes conectuntur de insigni Alcibiadis fortuna editae, cui magna hominum de eius ingenio opinio damno maximo fuerit. Quae cum irrita contra Andrios expeditione iam apud Plutarchi auctorem coniuncta fuisse opinor; nam ipsius non esse istas contemplationes docet Cornelii similitudo, quam Fricke quoque (p. 82) animadvertit.

Quod inter res Atheniensibus speratas Chii expugnatio separatim commemoratur (Χίους ἑαλωκότας ἀκούσεσθαι καὶ τὴν ἄλλην Ἰωνίαν), Theopompum optime decet. Pecuniam autem

Atheniensium praetoribus defuisse, cum hostes a rege Persarum adiuvarentur, ideoque Alcibiadem ab exercitu discedentem aera et victum comparare coactum esse ab eodem auctore, a quo priora, expositum esse videtur. Iterum Theopompum Atheniensium belli administrationem reprehendisse et, si coniectura licet longius procedere, ad rei publicae vitia rettulisse verisimile est. Huic igitur et expeditionem Andriam et hanc totam sententiarum seriem attribuo. Quod si apud Cornelium quoque hoc loco Theopompum subesse statuimus, quae Diodoro similia antecesserunt, ad Ephorum revocare non vetamur. Ceterum a Nepote nimis res contractae et confusae sunt, cum neque Andri neque Notii mentio fiat, sed e rebus contra Cymaeos male gestis considerationes illae nectantur.

Plutarchi narratio contemplationibus illis universi generis ad pugnam prope Notium commissam traducitur, de qua *Lysandri* quoque vitam inspicere opus est. Sed priusquam eam persequamur, quomodo et Ephorus et Theopompus de Lysandro iudicaverint, ex eorum fragmentis, quantum possumus, colligamus. Ephorum igitur de illius consilio rei publicae commutandae et de variis, quibus ideo usus esset, fallaciis copiose disseruisse videmus Plut. Lys. 20, 25, 30. Qua autem causa ad iter Aegyptium commotum illum esse Ephorus contendit, eam a ceterorum nullo aut certe non a Theopompo traditam esse e Plutarchi verbis (cap. 20 fin.) efficio. Adde, quod Ephoro, Atheniensium amico, Lysander, qui decemviratus nefarios instituisset et in angustias summas urbem adduxisset, odio esse debuit: animo iniquo in universum de Lysandro eum scripsisse existimabimus. Auri vero et argenti copiam magnam per illum Lacedaemonem inductam esse morisque prisci defensores obstitisse et Ephorus narravit et Theopompus (Plut. Lys. 17). Ceterum illius frugalitatem, continentiam, sobrietatem Theopompus praedicat frgmm. 21 et 22; quibus rebus quantum tribuat in aestimandis hominibus, ex eius frag-

Ephori et Theopompi de Lysandro iudicia.

mentis satis apparet. Num tamen ceteroquin tam bene de Lysandro iudicaverit, in singulis spectandum est.

de ineunte Lysandri nauarchia.

Quomodo Lysander rei navali praefectus sit et Ephesi classem instruxerit (Lys. cap. 3) Plutarchus narrat, postquam, quae tum bellantium condicio fuisset, paucis comprehendit. Hoc exordium ab ipso compositum esse probabile est. Quod autem de Lysandri facultate belli gerendi significatur, cum inter omnes constitisse videatur, ad certum auctorem non fert. Insignior est altera huius capitis pars, qua, quae Ephesi ille egerit et quantum urbis incrementum adiuverit, demonstratur. Quod qui tradidit, civitati illi, quae Lacedaemoniorum partes constanter sequebatur (εὔνουν μὲν αὐτῷ καὶ λακωνίζουσαν προθυμότατα), admodum studebat; maxime autem utrumque decet Theopompum optimatium fautorem e Chio insula finitima natum. Xenophon nihil eiusmodi commemorat, Ephorum commemorasse indicio nullo apud Diodorum probatur. Quas autem Xenophon nominat navigationis stationes (Hell. I, 5, 1) enumerare Plutarchi non intererat.

De stipendio classiariorum aucto (Lys. 4), quae Xenophon (Hell. I, 5, 2 sqq) singula tradidit, Plutarcho apta non erant. Itaque cum Diodoro (70, 3) eum magis vel in verbis convenire videmus. Similiter enim ordiuntur: πυθόμενος δὲ Κῦρον εἰς Σάρδεις ἀφῖχθαι τὸν βασιλέως υἱὸν ἀνέβη (Plut.) = Ἀκούσας δὲ Κῦρον τὸν Δαρείου τοῦ βασιλέως υἱὸν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἀπεσταλμένον συμπολεμεῖν τοῖς Λακεδαιμονίοις, ἧκεν εἰς Σάρδεις πρὸς αὐτόν (Diod.); similibus deinde verbis Cyrum a Lysandro ad bellum excitatum esse narrant: τὸ μειράκιον ἐπέρρωσε πρὸς τὸν πόλεμον (Plut.) = παροξύνας τὸν νεανίσκον εἰς τὸν κατὰ τῶν Ἀθηναίων πόλεμον (Diod.). Tum Lysandrum primo, ut drachmae stipendium cottidianum singulis tribueretur, petivisse, recusante autem Cyro postea id saltem impetrasse, ut obolus unus tribus, qui usque eo pendebantur, adderetur (Xen. I, 5, 4 sqq) neque Plutarchus tradit nec Diodorus; sed secundum utrumque Cyrus animo promp-

tissimo ad tempus proximum decem milia daricorum Lysandro dedit et, quaecumque cuperet, se praebiturum esse promisit. Quantum autem fructum inde Lacedaemonii cepissent, quamquam deest apud Diodorum, in eius fonte similiter atque a Plutarcho expositum esse credibile est. Sed quod apud hunc in convivio Lysandrum a Cyro excitatum petivisse legimus, ut obolo stipendium augeret, Xenophontis narrationem habemus, ita tamen cum Ephorea coniunctam, ut Cyrus quartum obolum petenti decem milia daricorum dedisse dicatur, e quibus ille singulos obolos classiariis addiderit. Praeterea si iam Ephorum Pharnabazum Alcibiadis fautorem pro Tissapherne nominavisse recte iudicavi, ille Tissaphernem a Lysandro accusatum esse tradere non potuit. Quod ipsum quoque apud Xenophontem invenitur, sed leviter tactum, cum Plutarchus, quid Lysander exposuerit, afferat, Cyro quoque Tissaphernem odiosum fuisse commemoret, secundum animi humani naturam e communi in eundem odio non minimam causam efflorescentis amicitiae repetat. Plutarchum haec de suo Xenophonti addere potuisse non nego; verisimilius tamen est hic quoque Theopompum Xenophontis narrationem amplificasse et cum Ephorea, ut supra exposui, contexuisse, praesertim cum quarti oboli e Cyri munere additi etiam vit. Alcib. 35 mentio fiat, ubi totum rerum contextum ad Theopompum refero. Ephorum tamen ipsum quoque a Plutarcho adhibitum esse propter verborum quandam cum Diodoro similitudinem, de qua supra dixi, opinor; atque etiam, quae in huius opere sequuntur, simillime a Plutarcho, etsi alio loco, narrari infra videbimus. Lysandrum quamvis ita adiutum tamen cum Alcibiade proelium inire veritum esse apud Diodorum e certa quadam re narrata apparet, a Plutarcho in universum dicitur.

de proelio ad Notium commisso.

Sequitur proelium ad Notium commissum (Lys. 5), de quo Plutarchus cum Diodoro prorsus discrepat. Hoc enim auctore (cap. 71) Alcibiades Clazomenas se contulit,

ut populares contra exsules adiuvaret, secundum Plutarchum et Xenophontem (I, 5, 11) Phocaeam vectus est. Idem duabus tantum navibus Antiochum provectum hostes ad pugnam provocavisse tradunt, Diodorus naves decem eum secum habuisse. Deinde hic Lysandrum tota classe aggressum illius navem depressisse narrat, cum primo paucas tantum naves illum persequi, postea demum, cum Athenienses suis auxilio venirent, ceteras quoque impetum facere Xenophonte auctore et Plutarcho iusserit. Iactura denique Atheniensium ab his navium quindecim, a Diodoro viginti duarum fuisse dicitur. Non magis autem quam Diodorus Pausanias (IX, 32, 6) cum Plutarcho convenit. Quae igitur ab hoc in Lysandri vita de pugna ista narrantur, cum Xenophonte consentiunt nec tantum in rebus, sed etiam in verbis, ut hinc perspicitur: [εἰς Φωκαίαν] ἐκ Σάμου διέπλευσεν (Plut.) = διέπλευσεν πρὸς αὐτὸν [Θρασύβουλον] (Xen.) ἐπὶ τοῦ στόλου καταλιπὼν Ἀντίοχον τὸν κυβερνήτην (Plut.) = καταλιπὼν ἐπὶ ταῖς ναυσὶν Ἀντίοχον τὸν κυβερνήτην (Xen.) ἐπέπλευσε εἰς τὸν λιμένα τῶν Ἐφεσίων (Plut.) = εἰς τόν λιμένα τῶν Ἐφεσίων εἰσπλεύσας (Xen.) ἀγανακτήσας ὁ Λύσανδρος καὶ κατασπάσας τὸ πρῶτον οὐ πολλὰς τῶν τριήρων ἐδίωκεν αὐτόν (Plut.) = Ὁ δὲ Λύσανδρος τὸ μὲν πρῶτον ὀλίγας τῶν νεῶν καθελκύσας ἐδίωκεν αὐτόν (Xen.). ἰδὼν δ᾽αὖ τοὺς Ἀθηναίους βοηθοῦντας ἄλλας ἐπλήρου καὶ τέλος ἐναυμάχουν συμπεσόντες (Plut.) = ἐπεὶ δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τῷ Ἀντιόχῳ ἐβοήθουν πλείοσι ναυσί, τότε δὴ καὶ πάσας συντάξας ἐπέπλει . . . . ἐκ τούτου δ᾽ἐναυμάχησαν κ. τ. λ.; et postquam victoriae signum constitutum uterque commemoravit: Ἐπὶ τούτῳ τὸν Ἀλκιβιάδην ὁ μὲν ἐν ἄστει δῆμος ὀργισθεὶς ἀπεχειροτόνησεν (Plut.) = οἱ δὲ ἐν οἴκῳ Ἀθηναῖοι . . . . χαλεπῶς εἶχον τῷ Ἀλκιβιάδῃ . . . . καὶ στρατηγοὺς εἵλοντο ἄλλους (Xen.) ὑπὸ δὲ τῶν ἐν Σάμῳ στρατιωτῶν ἀτιμαζόμενος καὶ κακῶς ἀκούων ἀπέπλευσεν εἰς Χερρόνησον ἐκ τοῦ στρατοπέδου (Plut.) = Ἀλκιβιάδης μὲν οὖν πονήρως καί ἐν τῇ στρατιᾷ φερόμενος . . . . ἀπέπλευσεν εἰς Χερρόνησον εἰς τὰ ἑαυτοῦ τείχη (Xen.). Praeter Xenophontis relationem autem Plutarchus, quam temere et audacter Antiochus se gessisset,

depingit et pugnae descriptionem concludit, cum non gravem per se eam Alcibiadis causa insignem esse addit.

Revertamur nunc ad vit. Alcib. 35. Hic quoque nonnulla Xenophonti simillima sunt: τὴν αὑτοῦ πληρωσάμενος τριήρη καὶ τῶν ἄλλων μίαν (Plut.) = τῇ τε ἑαυτοῦ νηὶ καὶ ἄλλῃ (Xen.), καὶ παρὰ τὰς πρῴρας τῶν πολεμίων νεῶν .... παρεξελαύνειν (Plut.) = παρ᾽ αὐτὰς τὰς πρῴρας τῶν Λυσάνδρου νεῶν παρέπλει. Atque Lysander primo paucis navibus, Atheniensibus succurrentibus demum omnibus aggreditur et, cum vicisset, tropaeum constituit. Ὡς δὲ ταῦτ᾽ ἤκουσεν ὁ Ἀλκιβιάδης ἐπανελθὼν εἰς Σάμον ἀνήχθη παντὶ τῷ στόλῳ καὶ προυκαλεῖτο τὸν Λύσανδρον (Plut.) = μετὰ δὲ ταῦτα Ἀλκιβιάδης ἐλθὼν εἰς Σάμον ἀνήχθη ταῖς ναυσὶν ἁπάσαις .... εἴ τις βούλοιτο ναυμαχεῖν. (Xen.) Ut in Lysandri vita, etsi non isdem verbis, Antiochi superbia depingitur. Sed inveniuntur alia, quae aut desunt Xenophonti et Lys. vitae aut etiam repugnant. Additur enim de Antiocho brevis ingenii notatio. Atque Alcibiades non Phocaeam, sed in Cariam profectus esse dicitur et discedens illum, etiamsi hostes adveherentur, proelio decertare vetuisse, cum Xenophonte auctore id tantum praeceperit, ne ille hostes provocaret. Deinde Antiochum ipsum a Lysandro perditum esse non dicitur a Xenophonte, exstat tamen apud Diodorum quoque. Tum verba: ναῦς ἔλαβε πολλὰς καὶ ἀνθρώπους pugnant cum Xenophonte, quem secutus Plutarchus ipse in Lys. vita quindecim naves captas esse tradidit, qui de militibus scripsit: τῶν δε ἀνδρῶν οἱ πλεῖστοι ἐξέφυγον, οἱ δ᾽ἐζωγρήθησαν. Hic denique propterea Lysandrum cum Alcibiade reverso proelium redintegrare noluisse tradit, quia navium numero Lacedaemonii inferiores essent, Plutarchus, quia in victoria parta acquiesceret.

Quae aut praeter aut etiam contra Xenophontem a Plutarcho tradita esse exposui, quoniam de Ephoro propter Diodori discrepantiam cogitare non possumus, ad Theopompum revocabimus. Quem in Alcib. vita Plutarchus de hac re imprimis secutus est, sicut antea secutus et post

secuturus erat. Xenophontem praeterea inspectum esse veri haud dissimile est propter nonnullos verborum concentus supra commemoratos. Leviter tantum id factum esse, si modo est, inde efficio, quod si diligenter Plutarchus legisset, Alcibiadem in Cariam profectum non esse animadvertisset. Contra in Lysandri vita Xenophontem potissimum auctorem habuit, de Theopompo pauca tantum addidit. Inde, quod in vita altera Phocaeam, in altera Cariam nominat, apparet ei priorem ante oculos non fuisse, cum posteriorem componeret. Notandum deinde videtur Plutarchum, qua de causa Lacedaemonii superiores fuissent, omnino omisisse (cf. quae de ea re Xen. I, 5, 14 et Diod. 71, 4 afferunt); talia enim referre eius non intererat, nisi ad strategema eius, de quo agebat, pertinebant.

de imperio Alcibiadi abrogato. Quae de imperio Alcibiadi abrogato Alc. 36 disseruntur — de brevi eiusdem rei commemoratione Lys. 5 supra (p. 36) locutus sum — a Xenophonte repeti non poterant, cui quae addita sint, infra videbimus.

De fontium ratione Natorpio (p. 44 sq) minime assentior. Atque auctor alius est Plutarchi, alius Diodori (73, 3, 74), secundum quem non propter cladem ad Notium acceptam Alcibiades imperio deicitur, sed, quia Cymaeos iniuste aggressus est, ab eorum legatis Athenis accusatur; et cum per quosdam de exercitu inimicos suspicio esset illum cum Lacedaemoniis consentire et cum Pharnabazo — qui hic quoque pro Tissapherne nominatus esse videtur — amicitiam iunxisse, ut domi rerum potiretur, detrimentum quoque Notii acceptum crimini ei vertitur. Eundem autem auctorem Cornelius Alcib. 7, 2 sqq. secutus est; itaque et ipse Cymen commemorat, etsi neglegenter agens Notium omisit, Cymen urbem hostilem fuisse, quam quod non cepisset, vituperatum esse Alcibiadem existimat. Item porro atque a Diodoro cives metuisse narratur, ne tyrannidem Alcibiades peteret, eumque Pactyen se contulisse, cum domum reverti nollet (= τὴν μὲν εἰς Ἀθήνας ἄνοδον ἀπέγνω).

Tertium Trogum Pompeium eodem auctore usum esse inde intellegitur, quod Iustinus (V, 5) quoque impetum quendam in Athenienses praedantes factum et Alcibiadem conspirationis cum hostibus initae accusatum esse tradit. Quod autem *voluntarium exsilium* suscepisse dicitur, conferas cum Diodori verbis: αὐτὸς αὑτοῦ κατέγνω φυγήν.

Diodori narrationem ad Theopompum referre Natorp secundum ipsius de Theopompo iudicium vel ideo non debuit, quia non honesta de Alcibiade traduntur. Dicitur enim (73, 3) falso Cymaeos criminatus esse, ut vindicandi specie eorum territorium diriperet et urbi sociae, quamvis nihil peccavisset, detrimentum magnum attulisse. Sane proditionis crimini non accedere et vulgi credulitatem improbare scriptor videtur (74, 1), sed Alcibiadem aliorum delictorum conscium veritum esse iudicat, ne omnium, quaecumque in cives suos commisisset, poenam solveret eaque de causa ipsum quodammodo exsilii se condemnavisse. Immo vero Diodori auctorem, quod Cymaeorum res tanto studio persequitur et eorum querelis tantam vim tribuit, Ephorum fuisse iudicabimus eo indicio usi, quod iam Volquardsen animadvertit. Nam expeditionem illam et Cymaeorum querelas etiamsi Theopompus commemoravisset, Ephorus certe non omisisset; Plutarchi autem auctorem ea omisisse perspicuum est.

Quare id teneamus Diodorum, Cornelium vel eius auctorem, Trogum Ephoro usos esse et, quae Diodorus antea narraverat, percurramus. 73, 6 Pharnabazum pro Tissapherne nominari iam supra iudicavi; quo auctorem constantem probatur Diodoro subesse et confirmatur eo, quod Thrasybulus, cum circa Thraciam Atheniensium rem ageret, domo venisse dicitur (72, 2) adversus Xenophontem, secundum ea, quae Diodorus supra scripserat (68, 2. 69, 3. 5). Agidis autem impetus ita narratur (72, 3 sqq), ut in Athenienses, non in Lacedaemonios multum gloriae inde redundet.

Apud *Plutarchum* nihil legimus de Cymaeorum querelis, nihil de proditionis suspicione; sed primum explanata sunt, quae Xenophon verbis δι' ἀμέλειαν καὶ ἀκράτειαν ἀπολωλεκέναι τὰς ναῦς comprehendit, deinde Alcibiadi, quod castella posuisset, crimini datum esse traditur (cum Xenophon tantum castella ei in Chersoneso fuisse dicat), in quibus Bisanthe nominatur. Contra Cornelius tria castella, Ornos, Bisanthen, Neontichos tum demum illum communivisse narrat. Deinde Thrasybulum Thrasonis filium Athenis Alcibiadem accusavisse comperimus; denique hunc, postquam ab exercitu discessisset, cum Thracibus privatim bella gessisse eoque Graecis illius regionis profuisse. Redolet hoc locum illum communem, quo Isocrates aliique eius aetatis oratores Graecorum omnium adversus barbaros coniunctionem praedicaverunt. De Alcibiade Plutarchi auctor bene existimavisse putandus est. Nam Thrasybuli crimina iniusta et ex eius odio tantum orta illi visa esse perspicuum est. Id sane haud scio an ipse quoque senserit Alcibiadem totius vitae licentia commeruisse, ut inimici talia vulgo probarent.

Haec omnia autem optime cadunt in Theopompum, quem magis convenire cum Xenophonte quam Ephorum, Xenophontis autem narrationem non solum verbis illustrare et ornare, sed etiam rebus augere saepius iam statuimus, hoc loco plane perspicimus.

de sodalitatibus a Lysandro coniunctis.

Iam vero, ut temporum ordinem teneamus, ad Lysandri vitam rursus aggrediamur, cuius cap. 5 Plutarchus, quomodo sodalitates Lysander coniunxerit, exponit. De quibus Xenophon in hac rerum serie non loquitur, sed I, 6, 4 demum, ubi Callicratidae imperium incipit, Lysandri amicos, qui illum aspernati essent, commemorat. Sed cum Diodoro (70, 4) similitudo tanta est, ut cum Buechsenschuetzio (p. 236) ex Ephoro Plutarchum sua repetivisse opiner.

Sed aliter hoc ceteris a Plutarcho inseritur atque a Diodoro. Hic enim, postquam Cyri pecunia Lysandrum

egregie adiutum esse rettulit, quantopere insuper sodalitatibus illis Lacedaemoniorum opes auxerit, ante pugnam ad Notium factam exponit. Contra Plutarchus post pugnam istam narraturus est, quomodo Lysander potentiam futuram iam tum fundaverit, cum multis in urbibus homines strenuos ac maiora molientes et sibi devinciret et inter ipsos coniungeret ita, ut hoc vinculum ne eius absentia quidem solveretur, sed Callicratida mortuo Lysandrum ad imperium quodammodo reduceret. Apud Diodorum igitur sententiarum contextus magis ad rerum scriptoris, apud Plutarchum ad vitae scriptoris consilium accommodatus est. Quin auctoris ordinem ille servaverit, non est, quod dubitemus. Plutarchus igitur haec e pristino narrationis contextu solvisse et alio loco inseruisse videtur.

de Callicratida nauarcho.

Quae de Callicratida extremo cap. 5 dicuntur, auctori certo tribuere non audeo. Nam et Xenophon illius sinceritatem magni aestimavit et Diodori auctor, qui, ubi de illo disserere coepit, morum descriptionem praeposuisse videtur (cf. Diod. 76, 2). Eodem Plutarchum usum esse Natorp p. 46 et Buechsenschuetz p. 236 statuerunt; Fricke (p. 87) omnes similiter de Callicratida iudicavisse ratus fontem alium fuisse opinatus est. Quoniam, qualem rationem Lysander, qualem Callicratidas cum sodalitatibus habuerit, explicatur, de Ephoro potissimum cogitabimus; sed verba Diodoro cum Plutarcho communia ἁπλοῦς et δικαιότατος documento esse non possunt. Ceterum de sodalium adversus Callicratidam improbitate Xenophon quoque locutus est (I, 6, 4), alia tamen adiunxit atque Plutarchus. Qui quae de rerum scriptore sumpsit, libere disposuisse videtur. Primo enim ea tempora prospicit, quibus aliquamdiu iam Callicratidas navibus praeerat, inde ab ὥστε ad decessionis tempus revertitur, quo priora etiam repetit ineunte cap. 6. In hoc capite autem secundum temporum ordinem Plutarchus describit, quae Xenophon locis diversis indicaverat. Is enim primo (I, 6, 2 sq) imperium ad Calli-

cratidam translatum esse commemorat. Postea eum, cum frustra Cyrum adire conatus esset, in alloquio demonstrantem facit (I, 6, 10) pecuniam Cyro a Lysandro redditam esse. Plutarchus contra, sicut gesta sunt, incipit a pecunia reddita, transit ad classem deditam et Lysandri magniloquentiam, deinde a Callicratidae rebus angustis profectus enarrat, quomodo Cyri auxilium nancisci contenderit et quod consilium ceperit, cum infecta re redisset. Singula magnam partem cum Xenophonte conveniunt, sed libere, quae inde manaverant, conformata et amplificata sunt. Nam adduntur verba maligna, quibus Lysander Callicratidam ipsum pecuniam petere et, quomodo milites aleret, prospicere iubet. Deinde Callicratidam domo pecuniam non attulisse, a civitatibus autem sociis per vim cogere noluisse a Plutarcho plane dicitur, apud Xenophontem colligi tantum potest e §§ 8—11. Tum, id quod maximi momenti est, conatus Cyri adeundi ita narratur, ut Callicratidas ne admissus quidem esse dicatur, sententiis augetur ad barbarorum contemptum spectantibus, in fabellae modum depingitur, ut hominis Spartani spiritus, rusticitas sincera, moris Persici neglectio eluceat. Simul hic quoque Lysandro ille opponitur homo animi liberi et excelsi, qui aegre a se impetret, quod iste fecerat. Atque in fine eius narratiunculae commotius et magnificentius declamantur, quae Xenophon simpliciter de Atheniensibus Lacedaemoniisque inter se reconciliandis, barbaris autem aspernandis Callicratidam cogitavisse narravit. De Milesiorum denique contione Plutarchus nihil commemorat, sed Ephesum illum revertisse tradit.

Xenophontis igitur narratio ita aliter composita, amplificata, mutata est, ut ipsa Plutarchum usum non esse nisi iuxta alteram appareat. Quodsi, quis hic auctor gravissimus fuerit, quaerimus, de Ephoro cogitare non vetamur eo, quod Diodorus nihil de ea re exhibet. Et Fricke p. 90, Natorp p. 46 (qui Diodorum Theopompo usum esse

existimant) Ephori proprium esse ducunt, quod Callicratidae Lysander opponitur. Contra tamen probabiliter conicitur Theopompum, quippe qui Spartanorum mores admiratus sit, cum voluptate illa et copiose tractavisse. Eodem enim studio Callicratidam Xenophon amplectitur, qui de Lacedaemoniis similiter sensit atque Theopompus. Nec vero ab hoc abhorrere mihi videtur, quod de Lysandri existimatione detrahitur. Minime enim eius adversus Persas observantia et humilitas cum prisca Lacedaemoniorum gravitate conveniebat; nec magis subdola in Callicratidam illiberalitas a Theopompo probari poterat. Quae non obstiterunt, quin Lysandri virtutes alio loco Theopompus laudaret. Ceterum fusa Plutarchi de Callicratida narratio non pertinebat ad persequendam rem propositam, nisi quod Lysandri gestis quodammodo ex adversa parte respondebat.

In *Diodori* parte insequenti Callicratidas Methymnam quorundam proditione (76, 5), a Xenophonte (I, 6, 13) per vim cepisse dicitur; et ad Mytilenas Atheniensium maiore cum laude mentio fit a Diodoro (77—79, 7), quam a Xenophonte (I, 6, 16 sqq). Postquam e Sicilia narratio in Graeciam revertit, in describenda pugna ad Arginusas facta (97—100, 5) pariter scriptoris laus utrisque tribuitur. Inter Lacedaemonios enim Callicratidas elucet, qui mortis instantis conscius facta mirabilia edit, deinde hostium multitudinem impugnans occiditur (97, 5. 98, 1—3, 99, 3—5) — quod quare Theopompi indicium non existimem, supra (p. 9) iam dixi —; ex altera parte praetorum Atheniensium virtus ostenditur, qui, quamquam morituros se esse in pugna exploratum habebant, non deterrebantur (97, 7). Classis Lacedaemoniorum victa Diodoro auctore centum et quadraginta, Xenophonte (I, 6, 26) centum et viginti tantum navium fuit. Apud Athenienses Therameni, quem Xenophon in pugna non commemorat, munus magnum tribuitur (98, 3); contra post pugnam ad naufragos excipiendos Theramenem cum Thrasybulo re vera missos esse

Diodorus non tradit. Item in praetorum periculo (101—103, 2) Theramenis excusandi studium cernitur; populi autem temeritatem Diodori auctor non minus questus est quam Xenophon; Theopompi id proprium non esse supra (p. 11) exposui. In describendis Arginusis scriptor locorum sciens apparet; ubi autem sitae sint, Xenophon simpliciter indicat (I, 6, 28) verbis ἀντίον τῆς Λέσβου, Diodorus circumscribit Mytilenis et Cyme urbibus (97, 3). Et cum ille I, 6, 33 Lacedaemonios aut Chium aut Phocaeam fuga petivisse tradat, hic (99, 6) Chium et Cymen nominat. Denique oram Cymaeis et Phocaeensibus finitimam mortuorum corporibus et navium fragmentis obrutam esse narratur (100, 4). Iure haec ad Ephorum rettulisse mihi videtur Volquardsen p. 59 sqq.

Plutarchus Lys. 7, postquam Callicratidae virtutes, in quibus fortitudinem, paucis comprehendit — quoniam singula fortiter gesta narrare eius non intererat — illius mortem commemorat aliter ac Diodorus, conveniens cum Xenophonte I, 6, 33 verbo ἠφανίσθη, quod apud hunc optime ceteris declaratur, a Plutarcho autem solum translatum offensionis aliquid habet, ut Buechsenschuetz (p. 236) iam iudicavit. Cum vel inde Plutarchum ipsius Xenophontis verba contraxisse verisimile sit, tum confirmatur eo, quod *de Lysandro ad imperium revocato.* de Lysandro ad imperium revocato ambo vel in singulis conveniunt, neque quicquam Xenophonti additum apud Plutarchum invenitur; quare hunc ab illo ipso sua repetivisse cum Buechsenschuetzio existimo.

Quomodo Lysandri reditus sociorum animos moverit, cum paucis exponit, Plutarchus eo deducitur, ut rursus Callicratidae ingenium simplex et liberale opponat illius versutiae et fallaciae, quae dicto quodam illustrantur. Cui hoc debeatur, nescio; in describenda autem Lysandri natura scriptor apparet in philosophia versatus, qui quin Plutarchus ipse fuerit, non est, quod dubitemus.

In hac parte non scriptore historico Plutarchum con-

tinuo usum esse eo quoque probatur, quod, quae sequitur, (cap. 8) rerum Mileti gestarum narratio cum prioribus conectitur verbis Τοιαῦτα δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ περὶ Μίλητον ἱστόρηται. Neque Plutarchum, quando gesta et quomodo in rerum seriem inserenda essent, satis certo scivisse inde apparet, quod eadem res cap. 19 paulum mutata iterum narratur et ὕστερον gesta esse dicitur. Xenophon de popularium caede Mileti facta nihil, Diodorus 104, 5 sq alia tradit; et quoniam talia bis ante proelium ad Aegospotamos commissum gesta esse credibile non est, de Ephoro non cogitabimus. Sed eadem res, quamvis non tam accurate, a Polyaeno narratur I, 45, 1 ita, ut verba congruant ὑποσχόμενος τὸν δῆμον συγκαταλύσειν et νεωτερίζοντες ἐπανίστανται quoque compar habeat Plutarchi ἐπανάστασις. Praeterea Lysandri dictum apud Plutarchum continuo adiunctum, quod ab Androclide quodam manavisse dicitur, a Polyaeno uno strategemate interiecto refertur I, 45, 3. Haec duo igitur Polyaenum diremisse et aliud interposuisse verisimile est, de qua ratione cf. Melber: Über die Quellen und den Wert der Strategemensammlung Polyäns, Jahrbb. f. Phil. u. Päd. suppl. XIV, 1885 p. 444. Atque Melber, cum Plutarcho Polyaenum usum esse omnino neget, hic quoque e fonte communi similia fluxisse contendit. Sed quod de Ephoro cogitat, sequi eum non possum propter Diodori discrepantiam. Neque apud alium quarti saeculi scriptorem duas illas narratiunculas coniunctas fuisse credo. Nam si fuissent, Plutarchum Androclidis commemorationem, qui quando vixerit, nescimus, apud veterem illum scriptorem invenisse necesse esset statuere, id quod mihi persuadere non possum. Immo vero Polyaenum illa e Plutarchi vita excepisse existimo, qui unde sua repetiverit, explorari non posse mihi videtur. Ipsius tamen esse contemplationes Lysandri dicto annexas et eius cum Polycrate comparationem veri dissimile non est.

de rebus Mileti gestis.

Sed de Milesiorum certamine infra, ubi de cap. 19

de altero ad Cyrum aditu. agetur, pauca addam. Nunc quae de altero ad Cyrum aditu exponantur (cap. 9), videamus. Cum Xenophonte (II, 1, 11 sqq) Plutarchus in universum convenit, cum Cyrum Sardibus non pauca Lysandro dedisse, alia promisisse, cum ad patrem proficisceretur, urbium tributa ad eum detulisse, ne viribus inferior proelium iniret, petivisse ipse quoque narrat. Rursus autem Xenophontis descriptio amplificata est. Cyrus enim temeritate iuvenili ductus (νεανιευσάμενος) iam primum Lysandrum arcessit et summa liberalitate multa praebet, plura pollicetur, cum Xenophonte auctore Lysander ultro venerit et, quae petebat, Cyrus cunctans concesserit. Atque hoc loco de solio, si cetera deficerent, venditando id ipsum affirmavisse dicitur, quod Xenophon, non Plutarchus, eum in colloquio priore I, 5, 3 asseverasse tradiderat. Et cum ad patrem vocaretur, illi non solum urbium tributa assignat, sed etiam imperium suum mandat. Proelium autem differre illum iubet, donec ipse reverteretur et reversurum se esse promittit cum navibus multis e Phoenicia et Cilicia coactis.

Utrum Ephorus an Theopompus ita Xenophontem amplificaverit, non diiudico, quoniam Diodori (104, 3 sq) narratio brevior est, quam ut singula conferre possimus. Quae communem cum Diodoro fontem indicare videntur, Buechsenschuetz p. 237 attulit. Momentum tamen habere ea mihi non videntur, et discrepantia quaedam spectanda est. Diodorus enim ultro Lysandrum ad Cyrum venisse ut Xenophon narrat, Plutarchus a Cyro vocatum, quo maius etiam huius studium apparet. Deinde Cyrus ad Persas, non, ut apud Xenophontem et Plutarchum, ad Medos profectus esse dicitur. Buechsenschuetz quod Plutarchum, quae apud Xenophontem de vendendo solio invenerit, excerpsisse opinatur et, cum tempus annotare omisisset, falso loco inseruisse, mihi non probavit, quia Plutarchum illa soluta e narrationis contextu notavisse, quamvis contextus totus tractandus esset, et, ubi locum

haberent, oblitum esse persuadere mihi non possum, ut credam. Sed mihi cum ratione et consilio a Plutarchi auctore ad alterum colloquium transposita esse gradationis causa videntur.

Diodorus deinde, quomodo Mileti optimates saevivissent, describit; his enim, non Lysandro caedis crimen deligatur, adiumento fuisse Lacedaemonii dicuntur, e quibus Lysander non separatim appellatur. Quantam misericordiam auctor popularibus tribuat, eo manifestum est, quod, quomodo pars confugerit et domicilia nova invenerit, persequitur. Lysandri animus durus Iasi se aperit, etsi Lampsaco capta idem ultionis modum adhibet.

de expeditione Hellespontiaca.

De Lysandri per mare Aegaeum cursu (cap. 9 med.) *Plutarchus* a Xenophonte nihil recepit, qui illius in Atticam expeditionem non modo non commemorat, sed a Rhodo eum ad Hellespontum versus profectum esse plane dicit (II, 1, 17). Contra apud Diodorum (104, 7) expeditionis Atticae mentio fit; et communem ambobus auctorem Ephorum fuisse eo etiam verisimilius fit, quod apud Plutarchum vana apparet Lysandri ostentatio, qui insequente Atheniensium classe alia via in Asiam refugerit.

Quae prima in Hellesponto gesta sint, item atque Xenophon (II, 1, 18 sqq) et isdem partim verbis Plutarchus narrat. Lysandrum enim navibus, Thoracem exercitu pedestri Lampsacum aggressos esse, urbem captam autem militibus diripiendam tradidisse uterque refert, in quo congruunt verba ἑλών (αἱροῦσι Xen.) κατὰ κράτος. Deinde Athenienses ad Elaeuntem primo classem constituisse dicuntur, quam centum et octoginta navium fuisse hoc ipso loco commemoratur. Et cum Lampsacum captam esse comperissent, εὐθὺς εἰς Σηστὸν καταίρουσι (ἀνήχθησαν Xen.). Κἀκεῖθεν ἐπισιτισάμενοι παρέπλευσαν εἰς Αἰγὸς ποταμοὺς ἀντιπέρας τῶν πολεμίων ἔτι ναυλοχούντων περὶ τὴν Λάμψακον (Plut.) = ἐκεῖθεν δ' εὐθὺς ἐπισιτισάμενοι ἔπλευσαν εἰς Αἰγὸς ποταμοὺς ἀντίον τῆς Λαμψάκου (Xen.). Haec igitur, cum tanta sit Xenophontis similitudo,

ad eum ipsum cum Buechsenschuetzio (p. 239) refero. Postea autem, quod de Hellesponti latitudine Xenophon (§ 21) indicat, a Plutarcho aliquanto post (cap. 11) commemoratur; quae hic de Philocle explicat, desunt hoc loco apud Xenophontem, postea (§ 31) aliter narrantur. Quorum auctorem Theopompum fuisse, quem postea quoque Plutarchus sequitur, verisimile est, quia populi Atheniensis iussum tam crudele commemoratur.

Quomodo classes ex adverso commoratae sint (cap. 10) iterum Xenophonti (II, 1, 22 sqq) similiter etiam in singulis narratur. Ὄρθρου enim tempore Lacedaemonii in naves conscendere iubentur. Athenienses autem advehuntur ἀνίσχοντος τοῦ ἡλίου (Plut.) = ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι (Xen.) et μετωπηδόν (Plut.) = ἐν μετώπῳ (Xen.) hostium collocantur. Et cum rursus discessissent, Lysander οὐ πρότερον ἐκ τῶν νεῶν τοὺς στρατιώτας ἀφῆκεν (Plut.) = οὐ πρότερον ἐξεβίβασεν ἐκ τῶν νεῶν (Xen.), quam copias hostium egressas esse comperiret. In Alcibiadis denique admonitione apud utrumque αἰγιαλός verbum invenitur et Sesti commoda duo commemorantur (εἰς λιμένα καὶ πόλιν Σηστόν Plut. = πρὸς λιμένα καὶ πρὸς πόλιν Xen.).

Sed non pauca Xenophonti adduntur. Militum enim de die postero exspectationes opponuntur Lysandri con silio. Atque hic etiam exercitum pedestrem ad pugnam paratum prope litus quiescere iubet; et cum hostes appropinquarent, navigia ad naves primas mittit nuntiatum, ut loco manerent. Atheniensium autem spiritus et hostium contemptio iam hoc loco attingitur, a Xenophonte tum demum, cum de quinti diei rebus agit (§ 27). Deinde Alcibiades equo vectus accessisse dicitur et, quae de Sesto monet, non ad urbis tantum et portus propinquitatem pertinent, sed etiam maius inter hostes intervallum spectant; nec minimum Lacedaemoniorum commodum esse dicitur, quod unius ad nutum omnia gerere consuevissent. Tum de praetoribus Tydeus solus respondet. Denique Alcibiades, ne proditionem illi molirentur, suspicatur.

Non pauca eorum, quae addita aut mutata esse exposui, in Alcibiadis quoque vita inveniuntur (36 fin., 37 init.). Despectos enim hostes Atheniensibus fuisse memoratur iam ante Alcibiadis adventum; qui ἵππῳ προσελάσας praetores adisse hic quoque traditur. Deinde verba conferas: ἀντεφορμοῦντος αὐτοῖς στόλου πρὸς ἐπίταγμα μοναρχικὸν εἰθισμένου σιωπῇ πάντα ποιεῖν (Alcib 36) = τῶν πολεμίων ἐφορμούντων στρατεύματι μοναρχουμένῳ καὶ πάντα πρὸς φόβον ὀξέως ἀπὸ συνθήματος ὑπηρετοῦντι (Lys. 10). Τυδεὺς δὲ καὶ πρὸς ὕβριν ἐκέλευσεν ἀποχωρεῖν (ἀπεκρίνατο Lys. 10). Ὁ δὲ Ἀλκιβιάδης ὑπονοήσας (ὑποπτεύσας Lys. 11) τι καὶ προδοσίας ἐν αὐτοῖς ἀπῄει (ἀπηλλάττετο Lys. 11). Plutarchum alterius vitae verba in alteram non transtulisse eo probatur, quod, prout res postulat, in altera hoc, in altera illud ponitur, alia omittuntur. Quare e fonte communi similitudinem illam fluxisse iudicandum est.

Diodori autem narrationem (105, 1 sq) ex eodem fonte manavisse Buechsenchuetz (p. 239) mihi non probavit. Quae enim de Atheniensium inopia et de decertandi necessitate ille affert, desunt apud Plutarchum. Cetera autem breviora sunt, quam ut quicquam inde efficiatur. Et quod similia sunt verba: ἐπιπλέοντες τοῖς πολεμίοις καθ᾽ ἡμέραν εἰς ναυμαχίαν προεκαλοῦντο (Diod.) et ἐπιπλεόντων καὶ προκαλουμένων (Plut.), nullius momenti mihi esse videtur, quoniam vix aliter res exprimi poterat. Nec magis quaedam bis dicta esse duarumque narrationum compositionem indicare cum Buechsenschuetzio existimo. Nam ut prima luce classiarii in naves conscenderent, Lysander primo imperat; deinde, quomodo ad pugnam parati fuerint, describitur. Atque ut taciti compositique, quae iuberentur, exspectarent, una cum illo iusso praecipitur. Postea hostibus appropinquantibus tumultuari et loco erumpere vetantur. Ac ne id quidem probare me posse, quod ex interrupta verborum constructione (οὐ πρότερον .... εἰ μή) Buechsenschuetz a duobus auctoribus Plutarchum sua mutuatum composuisse concludit, iam supra (p. 18) dixi.

Et quoniam cum Diodoro postera quoque discrepant, ad Theopompum refero, quae Xenophonti addita sunt, praesertim cum optime Theopompo convenerit demonstrare, quanto Atheniensium imperium mutuum cum rei publicae forma conexum inferius esset Lacedaemoniorum classis praefectura. Xenophontem tamen ipsum Plutarchum praeterea inspexisse in scribendo vit. Lys. cap. 10 propter verborum similitudinem supra expositam opinari licet. Proditionis suspicionem fuisse Xenophon et ipse (II, 1, 32) tradit; ac tum se proditos esse postea quoque Atheniensibus persuasum fuisse Pausanias docet X, 9, 11 et IV, 17, 3.

Alcib. 37 additur, quid Alcibiades discedens ab amicis dixerit et quomodo ea perficere potuisse videatur. Alcibiadem se hostes, ut proelio decertarent, adducere posse Thracum amicitia nisum professum esse Diodorus quoque (105, 3) et Nepos Alcib. 8 tradunt. Eandem narrationem ambobus subesse apparet; communem cum Plutarcho auctorem Natorp p. 52 et Buechsenschuetz l. l. statuerunt. At secundum Plutarchum Alcibiades, cum ab amicis prosequentibus abiret, quid facturus fuisset, nisi a praetoribus propulsus esset, affirmat; quomodo autem facere posset, non ipse significat, sed illi considerant, in quo Thracum quoque mentio fit. Contra Diodoro et Cornelio auctoribus Alcibiades coram exercitu Seuthis Thracum regis (Medoci et Seuthis secundum Diod.) amicitiam ostendit et, si ipsi res committerent, hostes ad decertandum coacturum se esse pollicetur. Tum Philocles (vel praetores secundum Diod.), ne prospere gesta illi tribuerentur, adversorum ipse reus fieret, veritus abire illum iubet; Thydei autem verba et proditionis suspicio non commemorantur neque antea Alcibiadem monuisse, ut Sestum praetores classem deducerent, narratur. Cornelius sane Alcibiadem a Philocle repudiatum, cum discederet, illud monuisse tradit; sed cap. 8 finem non iam cum Diodoro, sed cum Plutarcho convenire infra videbimus. Quare cum Diodorus et Cornelius a Plutarcho

differant, Alcibiadis discedentis verba et Atheniensium disceptationes ipsa quoque ad Theopompum revoco.

Pugna ad Aegospotamos facta ita describitur (Lys. 11), ut iterum Plutarchi auctorem a Xenophonte profectum esse, sed quaedam addidisse cognoscatur. Parmam enim, quam ii, qui speculandi causa Athenienses sequebantur, ostendere iussi sunt, χαλκῆν fuisse et πρῴραθεν sublatam esse Plutarchus indicat. Lysander autem iterum et navibus praepositos et nautas adhortatus esse dicitur. Deinde de nave imperatoria tuba signum datur; quo dato exercitus pedester ἐπὶ τὴν ἄκραν contendit, quae alias non commemoratur. Tum demum, cum et classis et pedites aggressi esse dicuntur, Plutarchus de quindecim stadiorum intervallo loquitur. Quocum cohaeret studii remigantium mentio. Altera ex parte Cononis irrita contentio et Atheniensium perturbatio et castrorum excidium describuntur. Capta denique esse tria milia militum dicuntur item atque in Alcibiadis vita, cuius brevem rerum complexionem ex eodem fonte fluxisse nde intellegitur. *de pugna ad Aegospotamos facta.*

Plane a Plutarcho et Xenophonte abhorret Diodorus. Sed magnam partem eorum, quae Xenophonti addita esse exposui, apud Polyaenum I, 45, 2 invenimus. Quem a Plutarcho sua excerpsisse Melber p. 444 negavit, quia de iis huius partis narratiunculis, quae secundum temporum ordinem compositae sunt, 4 et 5 Plutarcho desunt. At 1 et 3 ad eum referenda esse existimo (cf., quae supra, p. 45, disserui). Quod utrum de § 2 quoque dicendum sit an fons eis communis fuerit, diiudicare non audeo. Id certe e Diodori discrepantia concludo Theopompum Plutarchi auctorem fuisse.

Nepos autem cum Diodoro congruere desiit, cum ipse quoque Alcibiadem, quamvis in colloquii fine, monuisse traderet, ut Athenienses Sestum se conferrent, et de militum immodestia metuisse, qui praedaturi naves paene inanes relinquerent, Lysandrum autem, cum per specula-

tores de hostium temeritate certior factus esset, impetu acri bellum finivisse. Quae prorsus cum Diodoro pugnant, quo auctore Philocles triginta navibus provectus Lacedaemonios ad pugnam provocat et propterea Athenienses devincuntur, quod naves ceterae, quas se sequi Philocles iussit, nondum satis paratae sunt, ubi Lysander advehitur. Conspicuum igitur est Cornelium non aut Ephorum aut Theopompum continuo secutum esse, sed Ephorea et Theopompea apud eum commixta inveniri.

Ista Xenophontis et Theopompi relatio, secundum quam Athenienses, cum praedatum discessissent, inopinato Lysandri impetu deprehensi magnam partem caesi sunt, praeter Paralum autem octo naves effugerunt, subesse videtur etiam Iustino V, 6, 10, Frontino II, 1, 18, Pausaniae IX, 32, 7. Ephori igitur pugnae descriptionem non ita multum a posteris exceptam esse verisimile est.

Quanti momenti haec pugna fuerit, in fine cap. 11 comprehenditur, haud scio an a Plutarcho ipso.

Ad extremum, quae de prodigiis tradita sint, exponitur (cap. 12) ac primum quidem de Dioscuris Lacedaemonios adiuvantibus. De quibus quae narrabantur, orta aut certe sustentata esse videntur Dioscurorum simulacris propter hanc victoriam Delphis constitutis (Paus. X, 9, 7), ubi Plutarchus haec comperire potuit. Cetera e variis libris philosophorum — nominatur Deimachi περὶ εὐσεβείας scriptum — vel partim historicorum composuisse videtur. Nam sententiarum comparationem et comparantis iudicium ex uno auctore una transscribere insulsum et Plutarcho indignum fuit. Insuper ipsum haec contulisse et considerasse indicatur verbis: ταῦτα μὲν οὖν ἑτέρῳ γένει γραφῆς διακριβωτέον. Verba sane καὶ δείκνυται μὲν ἔτι νῦν ad auctorem aliquem per me licet referas.

Quod in cap. 13 Plutarchus iterum tria milia Atheniensium capta esse commemorat, eundem auctorem atque cap. 11 statuamus necesse non est, sed Plutarchus ipse nume-

rum illum memoria tenere potuit. De Philoclis nece haud dubie idem locutus erat, quem Plutarchus cap. 9 de eius rogatione secutus est. Etiam Xenophon II, 1, 32 et Diodorus 106, 7 et Pausanias IX, 32, 9 eius supplicii mentionem faciunt. Nec tamen a Xenophonte Plutarchus sua sumpsit, sed Theophrasti, quem nominat, descriptionem grandem elegit; qua eius animum commotum esse apparet, quoniam ad Lysandri vitam describendam ea transferre opus non erat.

Diodorus de iis quoque, quae sequuntur, a Xenophonte discrepat. Naves enim spoliis ornatae Lacedaemonem venisse victoriae nuntii traduntur (sicut apud Iustinum V, 7, 1); eodemque augendi studio Gylippum cum praeda et argenti talentis mille quingentis domum missum esse narratur, cum Xenophon II, 3, 8 quadringenta septuaginta tantum talenta commemoret. Sestum urbem captam esse Xenophon non, Samum obsessam postea demum (II, 3, 6) dicit. Lysandrum quoscumque Athenienses inveniret, domum reverti iussisse (II, 2, 2) et cum navibus ducentis ex Hellesponto profectum esse (II, 2, 5) ipse quoque refert, ad Piraeum cum centum quinquaginta tantum venisse (Diod. 107, 2 πλέον ἢ διακοσίαις) tradit (II, 2, 9). Agis autem Xenophonte auctore (II, 3, 3) tum demum, cum trigintaviri electi sunt, ex Attica copias deduxit. Pacis denique condiciones aliter conformantur. Atheniensium in hostes immanitatem tum punitam esse Xenophon aliquoties affirmat, Diodorus non memorat, quamquam postea (XIV, 2) de iniusto Lacedaemoniorum imperio et de eorum castigatione disserit. Quam inaequalitatem, nisi Diodoro ipsi tribuemus, Ephori esse verisimillimum est.

de everso Atheniensium imperio maritimo.

Plutarchus, postquam Theophrastum nominavit, usque ad verba τὴν πολιορκίαν εὐπόρως ὑπομένοντες prope ad Xenophontem (II, 2, 2) accedit; nec tamen utrum ex ipso sua repetiverit an per alterum acceperit, diiudicari posse videtur. De decemviratuum institutione, quam Xenophon non descripsit, Plutarchus cum Cornelio (Lys. 1, 3—5) con-

gruit vel in singulis, id quod Stedefeldt p. 26 iam docuit. Ac praeter alia id inter eos convenit, quod Lacedaemoniorum imperium Lysander illiberalitate sua invisum reddidisse dicitur. Quare a Plutarcho vituperatur, quod decemviros e rerum privatarum respectu elegerit, non ἀριστίνδην neque πλουτίνδην. Civitatem enim gubernatam a viris hac ratione electis optimam duxisse auctor videtur; quem Theopompum fuisse cum probaturus sim, id teneas velim a Theopompo quoque verbum ἀριστίνδην usurpari (cf. frgm. 249 de Philippi amicis: οὐκ ἀριστίνδην ἐξειλεγμένοι).

Diodorus de hac re non solum in alia sententiarum serie loquitur, ubi de Lacedaemoniorum imperio disserit (XIV, 10, 1 sq), sed etiam aliam in sententiam. Nam et isto et priore loco (XIV, 3, 4) Lysandcr Lacedaemoniorum iussu omnia constituisse dicitur neque aliena fuisse eorum consilia ab illius gestis iudicantur. Omnia igitur ipsis praestanda erant, omne odium a Lysandro collectum iure in eos ipsos redundavit. Haec Ephori descriptio fuisse, illa, quam Plutarchus et Cornelius secuti sunt, Theopompi videtur.

Lysandri saevitia apud Cornelium eorum, quae Thasi gesserit, exemplo illustratur (Lys. 2). Eadem a Polyaeno afferuntur I, 45, 4, non exstant apud Plutarchum, qui postea rebus Mileti gestis iterum ad demonstrandam Lysandri diritatem utitur. Quae contra Theopompum comoediarum scriptorem dicuntur, a Plutarcho ipso videntur addita esse.

Cap. 15 enuntiatum primum Xenophonti similiter conformatum est: προπέμψας εἰς Λακεδαίμονα τοὺς ἀπαγγελοῦντας, ὅτι προσπλεῖ μετὰ νεῶν διακοσίων (Plut.) = ἔπεμψε πρὸς Ἆγιν τε εἰς Δεκέλειαν καὶ εἰς Λακεδαίμονα, ὅτι προσπλεῖ σὺν διακοσίαις ναυσί (Xen.). Pausaniae quoque a Xenophonte mentio fit; at Lysandrum, cum Athenienses resisterent, in Asiam revertisse non tradit. Quare Plutarchi auctorem Xenophonti quaedam addidisse dicemus.

Quomodo in urbes, quae ab Atheniensibus steterant,

Lysander consuluerit, ita Plutarchus narrat, ut in rerum parte conveniat cum Xenophonte (II, 2, 3. 9. II, 3, 7). Sestus tamen et Scione ab hoc non nominantur. Sesti expugnationem Diodorus quoque commemorat nec tamen eadem affert, quae Plutarchus. Insuper cum temporum ratione huius dispositio rerum pugnat neque apud quemquam alium invenitur. Natorp eam inde repetendam iudicavit (Zeitschr. f. österr. Gymn. XXVII, 1876 p. 567 sqq), quod ab Ephoro ad Theopompum Plutarchus transiens, postquam Lysandri ad Atticam accessum persecutus esset, Sesti et Sami obsidionem adderet, Sami autem expugnationem anticiparet. Sed quare Samos Sesto praeposita esset, postea demum Aegina, Melos, Scione nominarentur, Natorp non explicavit. Equidem cum Frickio (p. 96) ad rerum quandam rationem singula collocata esse existimo. Primum enim in urbibus continuo Atheniensium partes secutis tam immanem Lysander se praebuisse dicitur, ut cives sui, quae gessisset, improbarent et partim corrigerent; deinde quod eas urbes, quibus olim Lacedaemoniorum sociis Athenienses vim fecerant, civibus expulsis reddidisset, cum Graecis cunctis placuisse dicatur, auctori placuisse apparet. Quae utrum Plutarchus ita collocaverit an in fonte iam collocata invenerit, in medio relinquo. Color autem huius expositionis optime Theopompo convenit. Ceterum Pausanias IX, 32, 6 omnino, quae bene Lysander et quae male gessisset, inter se opponit; nihil tamen inde de Plutarcho efficitur.

de Athenarum deditione.

A verbis: Ἤδη δὲ τοὺς ἐν ἄστει rursus secundum temporum ordinem res narratae sunt. Atque Lysandrum incolis fame fatigatis, sed pacis condicionibus nondum constitutis Athenas revertisse et pacis leges dixisse legimus. Minime haec conveniunt cum Xenophonte, quo auctore (II, 2, 23) tum demum in Piraeum ille devectus est, cum Athenienses pacis condiciones acceperunt, quae Lacedaemone nulla eius opera inter bellantes convenerant. Sane

secundum ea, quae postea Plutarchus affert, Lysandro id solum, quot naves Atheniensibus retinere liceret, statuendum relinquebatur, cetera ab ephoris decreta, a Lysandro tantum pronuntiata sunt. Quaeritur enim iis, quae sequuntur, utrum Lysandro soli an Lacedaemoniorum magistratui graves illae postulationes adiudicandae sint. Atque verba: Λακεδαιμονίων ἐστὶν ἀκοῦσαι λεγόντων ad Plutarchum referri non posse neque omnino eius aetate Lacedaemonios et Atheniensium fautores de antiquis illis rebus ita verbis ipsis allatis disseruisse perspicuum est. Immo vero eundem auctorem et haec scripsisse et eo, quod sequitur, ephororum decreto Lacedaemonios refellere conatum esse apparet vel e communi linguae genere Dorico. Cui haec tribuenda sint, nescio. De Theopompo certe cogitare non licet, quoniam Lacedaemoniis ipsis culpa assignatur. Quod Diodorus 107, 4 ipse quoque verbo σκέλη, non τείχη, muros longos significat, momentum non affert, quia illud in usu publico versabatur. Sane hac pacis condicione, quae deest Xenophontis relationi, cum Plutarcho convenit: ἐκβάντες ἐκ πασῶν τῶν πόλεων τὰν αὐτῶν γᾶν ἔχοντες (Plut.) = τῶν δὲ πόλεων πασῶν ἐκχωρῆσαι (Diod.). Sed exsules revocandos Diodorus, ad Lacedaemoniorum societatem Atheniensibus accedendum fuisse Plutarchus non commemorat. Praeterea Diodorus Atheniensibus, ut decem naves longas haberent, pactione illa concessum esse, Plutarchus Lysandri iudicio id permissum esse contendit. Nec si Plutarchum de pacis principiis in scytale illa conscriptis, Diodorum de effectu loqui opineris, Ephorum bis condiciones singulas enumeravisse ita, ut discrepantia tota satis explicetur, mihi persuadeo. Accedit, quod Diodorus ut Xenophon Lacedaemone pacis condiciones cum Atheniensium legatis constitutas esse narrat. Cui igitur haec Dorice dicta debeantur, integrum relinquamus.

Quae autem de Theramene referuntur, Ephoro optime accommodata sunt. Nihil enim de suspiciosa eius navitate,

nihil de consiliis clandestinis legimus; sed suasisse tantum dicitur, ut cives condiciones propositas acciperent. Et ubi crimini ei a Cleomene vertitur similiter atque a Lysia XII, 63, quod contraria Themistocli ageret, commode dicto patriae saluti se non resistere, sed consulere demonstrat. Mihi haec narratiuncula ex isto Lysiae loco nata esse videtur; qui num Theramenis scriptum impugnet, ut Boerner[1]) opinatur, spectanti mihi Lysiae verba dubitatio movetur; utique Plutarchi verba ad scriptam Theramenis defensionem referri non possunt, quoniam Cleomeni interroganti ille respondisse dicitur. Ceterum hic quoque Plutarchus a proposito paulum digressus est.

Diodorus in rerum ordine a Xenophontis verbis II, 3, 1 sqq, qualia quidem nunc legamus, differt, cum Samum, quam paulo post Sesti expugnationem obsideri coeptam esse narraverat, iam ante trigintaviros constitutos captam esse tradit XIV, 3, 4 sq. Sed Beloch (Philologus 43) et Boerner l. l. p. 51 haud scio an iure Xenophontis verba (§ 2): ἔδοξε τῷ δήμῳ τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι κ. τ. λ. una cum § 1 interpolata esse iudicaverint; quae si recte deleverunt discrepantia ista tollitur. Patriam rei publicae formam restituendam Lacedaemonios pactos esse apud Xenophontem non legimus. Sed similia inveniuntur in Aristot. Ἀθην. πολιτ. cap. 34 eademque subesse videntur Iustini narrationi falsae V, 8, 5. Diodori auctor τὴν πάτριον πολιτείαν haud dubie ita interpretatus est, ut interpretati esse dicuntur Theramenes et populares, quorum partibus omnino favit. Itaque, ut trigintaviri crearentur, per vim tantum fieri potuisse affirmat. Theramenem autem una cum popularibus collocatum summis laudibus efferri supra (p. 10) iam dixi. Ineunte cap. 6 Lacedaemonii crudelitatis et malevolentiae accusantur eorumque ὠμότητι Argivorum et The-

---

[1]) de rebus a Graecis inde ab anno 410 usque ad a. 403 gestis quaest. histor. Diss. Gotting. 1894, p. 68.

banorum humanitas opponitur. De hac quoque re Trogus (cf. Iustin. V, 9, 4) eundem auctorem, quem Diodorus, secutus esse videtur; eum autem Theopompum non fuisse haec omnia argumento sunt.

de trigintaviris institutis.

Plutarchus de illis factionum certaminibus, quae trigintaviros institutos antecedebant (cap. 15), apud Xenophontem nihil invenit. Ex eodem autem, quo Diodorum, fonte eum hausisse iniuria Natorp statuere mihi videtur. Ille enim, etsi ipse quoque Lysandrum Atheniensibus pacis fidem ab ipsis neglectam ostendisse narrat (XIV, 3, 6), tamen a Plutarcho longe abhorret, cum hoc auctore muris nondum disiectis Lysander absens ἐπιστείλας πρὸς τὸν δῆμον minatus sit de civitate victa, quoniam conventis non stetisset, prorsus aliam se sententiam in sociis laturum esse, Diodorus similiter ac Lysias (XII, 74) in illa contione, qua trigintaviri electi sunt, Lysandrum tradat ipsum adfuisse et, cum populares resisterent pactaque commemorarent, soluta ea esse ab Atheniensibus ostendisse, cum convento tardius muros diruissent. Iure igitur, ut opinor, Boerner p. 54 ad contiones diversas amborum narrationes rettulit. Neque omnino secundum Diodorum Lysander ad evertendam rei publicae formam ipse tantopere incubuit; sed, cum de interpretanda pace, qua ἡ πάτριος πολιτεία populo irrogata esset, aliquamdiu factiones certavissent, Lysander ab optimatibus arcessitus eorum consilia perfecisse dicitur. (cf. Arist. Ἀθην. πολιτ. cap. 34). Contra Plutarcho auctore Lysander, ubi primum urbe potitus est, de mutanda re publica consultavit. Cum autem plurimos graviter id ferre sentiret, minis ita populum perterruit, ut iugum acciperet.

Quoniam igitur Ephori vestigium non apparet, num quid Theopompo conveniat, videamus. Ac mihi quidem tribuenda esse ei videntur, quae de muris cum ingenti hostium laetitia disiectis narrantur. Proxime enim haec ad Xenophontem accedunt: πολλὰς μὲν ἐξ ἄστεος αὐλητρίδας μεταπεμψάμενος .... τὰ τείχη κατέσκαπτε (Plut.) = καὶ τὰ τείχη

κατέσκαπτον ὑπ᾽ αὐλητρίδων πολλῇ προθυμίᾳ (Hell. II, 2, 23). ὡς ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἄρχουσαν τῆς ἐλευθερίας (Plut.) = νομίζοντες ἐκείνην τὴν ἡμέραν τῇ Ἑλλάδι ἄρχειν τῆς ἐλευθερίας (Xen.). Xenophontis tamen narratio non solum exornata est, cum Lysander tibicinas partim ex urbe arcessivissse, partim e castris coegisse, socii autem coronati cuivis oblectationi se dedisse dicuntur, sed etiam, quod cum illius historia pugnat (cf. II, 3, 8), additur naves traditas esse combustas; idemque a Plutarcho dicitur vit. Alcib. 37. Quare Theopompum ita, quae apud Xenophontem invenerit, auxisse opinor.

Sed a Xenophonte haec pacis modo initae tempori assignantur, qua ab Atheniensibus accepta Lysander in Piraeum devectus est, neque in aliud tempus cadere iure, ut opinor, Luckenbach et Boerner (cf. l. l. p. 53) statuerunt. Contra Plutarchus, quamquam ipse quoque non perfecti excidii diem, sed priorem quendam ut libertatis initium a Lacedaemoniis sociisque celebratum esse videtur sensisse (κατέσκαπτε), tamen antea populares, cum Lysandri de mutanda re publica consilia aliquamdiu impugnavissent, eius minis fractos esse narraverat. Num igitur Theopompum iam res ita disposuisse et continuo eum Plutarchum in cap. 15 secutum esse existimabimus? Equidem persuadere mihi non possum, ut credam eundem rerum scriptorem, qui Lysandro et naves exceptis duodecim et moenia tradita esse supra commemoraverat et propter magnum eius rei momentum diem ascripserat, illas multo post demum, cum Samo Lysander revertisset, concrematas esse eumque diem libertatis principem hostibus visum esse narravisse. Accedit, quod non intellegitur, cur Athenienses, si modo Lysandri minis tantopere perterriti ad omnia parati erant, efficere, quod ille neglectum demonstraverat, non festinaverint, sed illi efficiendum reliquerint. Immo vero Plutarchus ipse rerum ordinis parum rationem habuisse videtur, praesertim cum explicare, ubi Lysander ἀποστείλας πρὸς τὸν δῆμον fuisset et cur deinde reverti potuisset, omiserit. Quare

eum Theopompi descriptionem illam opinor loco falso alterius narrationi inseruisse; atque eo, si quid video, in hunc errorem raptus est, quod fracti Atheniensium animi (ἐνδόντων τῶν Ἀθηναίων πρὸς ἅπαντα) priore quoque illo loco, cum de pace ineunda agebatur, commemorati erant. Alter autem ille auctor, quem huius capitis initio Plutarchus secutus est, haud scio, an rerum Atticarum scriptor fuerit, cum diem urbis traditae ascripserit et, quam salutaris idem dies olim Atheniensibus fuisset, annotaverit.

De verbis Δυσπειθῶς δὲ . . . . . τὰς ὁμολογίας λελυκότων id certe dici potest, ut supra vidimus, Ephorum Plutarchi auctorem non fuisse.

Restat, ut de urbis evertendae consilio disseramus. De quo quam varia tradita essent, exposuit Breitenbach (commentatus Hell. II, 2, 19. 20), cui ego addiderim Paus. III, 8, 6, qui ceteris propius ad Plutarchum accedit, cum Lysandrum (praeter Agidem) de diruendis Athenis cogitavisse tradit idque post foedus inter populos bellantes sancitum collocat. Nam Plutarchus, quoniam de τῶν ἡγεμόνων convivio loquitur, tale aliquid apud auctorem suum invenisse videtur, ut aliquanto post pacem initam exercitus socialis duces existimaret denuo de urbe punienda consuluisse, id quod fieri non potuit, nisi pacis condicione aliqua neglecta Athenienses illis, ut quasi soluto foedere ad arbitrium agerent, tamquam ansam dederunt. Quod neque cum Xenophonte convenit (cf. Hell. II, 2, 19 sq) neque cum Diodoro (cf. XIII, 107, 3). Nam quod hic postea hanc rem respiciens (XV, 63, 1) verbo μηλόβοτον ut Plutarchus utitur, nihil refert, quoniam Lacedaemonios, non Thebanos, Athenarum excidium proposuisse tradit. Pausaniae contraria Polyaenus narrat (I, 45, 5), cum Lysandrum Lacedaemoniis urbem exstinguere cupientibus obstitisse tradit. Ut autem hic Athenas propterea servatas esse affirmat, quod praesidio fore Lacedaemoniorum imperio viderentur, ita Xenophonti l. l., Aeliano v. h. IV, 6, Iustino V, 7, 4,

quamvis in ceteris multum discrepent, tamen id cum Plutarcho commune est, quod delere urbem tam bene de Graecis omnibus meritam iniustum ac nefarium visum esse narrant. Atque Plutarchus in maximi meriti loco positum esse docet, quod litterarum monumenta tam praeclara illa edidisset, propter quae Theopompum quoque Athenas πρυτανεῖον τῆς Ἑλλάδος appellavisse supra (p. 7) conieci. Et quoniam Thebani, ut urbs tolleretur, postulavisse, Phocensis autem homo quidam servandae illius quodammodo auctor fuisse dicitur, (conferas velim Demosth. XIX, 65), non ante illa tempora famam istam ortam esse licet opinari, cum bello sacro, quod vocatur, Athenienses a Phocensium partibus contra Thebanos steterunt. Quis autem Plutarcho haec tradiderit, in medio relinquo; eundem fuisse, quem antea ille secutus sit, veri dissimile non est, cum non omnes pacis condiciones Athenienses effecisse horum quoque auctor statuisse videatur, ut supra exposui.

Una cum trigintaviris Plutarchus decemviros Piraei a Lysandro institutos esse narrat, quos neque Xenophon hoc loco commemorat, etsi postea (II, 4, 19) quasi noti legentibus magistratus mentionem facit, neque ceteri excepto Aristotele, qui (Ἀθην. πολιτ. 35) paulo postquam de trigintaviris disserere coepit, de illis loquitur nec tamen a Lysandro, sed a trigintaviris electos eos esse tradit. Nec magis a Lysandro statim Lacedaemoniorum praesidium Athenis relictum esse apud alium quemquam legimus, sed trigintaviros aliquanto postquam instituti essent Lacedaemonem misisse, qui praesidium peterent, et Xenophon plane indicat II, 3, 13 et Diodorus XIV, 4, 3, ut Aristotelem non dicam, qui (cap. 37) post Theramenis mortem demum id factum esse statuit. (De eius rei tempore cf. Boerner p. 59 sqq). Atque Plutarchus, quod Lysandrum ipsum ea constituisse affirmat, auctorem eundem iam hic, quem init. cap. 16, secutus esse mihi videtur, qui Lysandrum paucorum imperio fundato domum revertisse nescivit. Itaque

tum quoque Athenis fuisse dicitur, cum Autolycus Callibium prostraverit. Qua de re Xenophon nihil narravit, Diodorus XIV, 5, 7 Autolycum in eorum numero nominat, qui per triginta tyrannos perierint, ita tamen, ut de eius necis causa nihil apud auctorem suum legisse videatur. Quod autem Plutarchus nullo iudicio addito refert, idem a Pausania (IX, 32, 8) Lysandro laudi vertitur, sed Callibii loco Eteonici nomen exstat et, quomodo iurgium inter illos ortum sit, exponitur ita, ut Plutarcho Pausaniam sua non debere appareat, ex eodem fonte autem eos sive ipsos sive per alios hausisse, quominus statuamus, Eteonici nomen non obstet. Atque ut Pausanias Autolyci imaginem quondam se Athenis vidisse meminit, ita Plutarcho symposii Xenophontei in mentem venit, quo de eodem illo agebatur; nam quin verba: ἐφ' ᾧ τὸ συμπόσιον ὁ Ξενοφῶν πεποίηκε ab ipso Plutarcho homine in philosophorum litteris optime versato addita sint, non est, quod dubitemus.

de Gylippi peculatu.

De Gylippi peculatu (cap. 16) Plutarchus disserere incipit, cum Lysandrum ἀπὸ τούτων γενόμενον i. e. Atheniensium rebus ad arbitrium constitutis ad Thraciam versus evectum esse narrat. Nescivit igitur eum aliquamdiu Lacedaemone fuisse; neque enim Plutarchi neglegentia id omissum esse, sed auctori quoque defuisse docent ea, quae sequuntur. Nam si Lysander, cum ipse in Thraciam proficisceretur, per Gylippum, quodcumque in bello lucri fecerat, domum misit, ipsum usque eo a Lacedaemone afuisse efficitur. Quod prorsus pugnat cum Xenophonte (II, 3, 8) neque a Diodori auctore depromptum esse videtur. Nam etsi is quoque Gylippum cum praeda Lacedaemonem missum esse narraverat (cf. Diod. XIII, 106,8), id quod apud Xenophontem omnino non invenitur, tamen ante captas Athenas res ibi collocata et cum Sami obsidione coniuncta est. Nec vero Plutarcho, cum simpliciter dicat: τῶν δὲ χρημάτων τὰ περιόντα, ante oculos fuisse videtur mille quingentorum talentorum commemoratio (Diod.

l. l.). Immo, quid lucri ille fecerit, similiter descripta videmus apud Xenophontem II, 3, 8: καὶ στεφάνους, οὓς παρὰ τῶν πόλεων ἐλάμβανε δῶρα ἰδίᾳ καὶ ἀργυρίου τετρακόσια καὶ ἑβδομήκοντα τάλαντα, ἃ περιεγένοντο τοῦ φόρου, οὓς αὐτῷ Κῦρος παρέδειξεν εἰς τὸν πόλεμον καὶ εἴ τι ἄλλο ἐκτήσατο ἐν τῷ πολέμῳ = τῶν δὲ χρημάτων τὰ περιόντα καὶ ὅσας δωρεὰς αὐτὸς ἢ στεφάνους ἐδέξατο (Plut.). Deesse apud Plutarchum, quas Xenophon commemorat, Atheniensium triremes consentaneum est, quoniam eas combustas esse narraverat. Videtur igitur Xenophontem Plutarchi auctor adhibuisse, ita tamen, ut summam rei mutaret, cum belli praedam non ab ipso Lysandro, sed per Gylippum Lacedaemonem allatam esse traderet. Hunc sacculis patefactis aliquantum pecuniae furto subduxisse Diodorus quoque (l. l.) refert; sed eius servum apud ephoros, ubi ablata occultarentur, ambigue loquentem indicavisse, apud illum, capitis autem damnatum Gylippum fugisse patremque eius similia et commisisse et passum esse apud Plutarchum non legimus. Magis tamen, ne e fonte communi eos hausisse statuam, eo prohibeor, quod, quae congruere, si ita esset, conicerem, ea ipsa aliter dicta esse video, cum σακία bis Diodorus, ἀγγεῖα Plutarchus nominet, ille σκυτάλην, hic γράμματα vel γραμματίδια unicuique adiuncta esse tradat. Praeter Ephorum autem Theopompum de hac re locutum esse existimo, cum utrumque, quid consilii Lacedaemone viri gravissimi inissent de aere in rem publicam inducto, exposuisse cap. 17 intellegamus. Quod cum Gylippi peculatu ipsum Theopompum, non Ephorum coniunxisse opinor. Cum enim inter Sesti occupationem et Sami obsidionem illud narratum esse neque Diodori indicium exstet neque aptum mihi videatur, quia, si esset, nimis dirimeretur rerum gestarum series, tum haud scio, an ibi locum habuerit, ubi de Lacedaemoniorum imperio disseritur. (Diod. XIV, 10,2: ἔταξαν δὲ καὶ φόρους τοῖς καταπολεμηθεῖσι, καὶ τὸν πρὸ τοῦ χρόνον οὐ χρώμενοι νομίσματι τότε συνήθροιζον ἐκ τοῦ φόρου κατ' ἐνιαυτὸν πλείω τῶν χιλίων ταλάντων). Utrumque igitur post

captas Athenas et belli finem, ubi quodammodo quieto et placido gradu procedere et huc illuc deflectere narratio potuerit, de Lacedaemoniorum rebus domesticis egisse opinor. Atque a Theopompo Plutarchum repetivisse rerum conexum probare conatus sum. Ceterum Gylippi peculatum apud Athenaeum VI, 24 invenimus, etsi, quod Timaeus illius αἰσχροκέρδειαν et μικρολογίαν Plutarcho auctore (vit. Nic. 19) reprehendit, ad hoc referamus necesse non est.

De iis, quae Lacedaemone gesta esse cap. 17 dicuntur, Plutarchus cum Ephori narratione Theopompeam se contulisse profitetur. Neque eae de rebus ipsis tantopere discrepuisse videntur, ut Plutarcho, sicut saepe, utram sequeretur neglecta altera, decernendum fuerit, sed cetera similes nomen illius ephori non idem praebuisse, quem cum nominare vellet, Plutarchus discrepantiam illam notare, quod facile poterat, constituit[1]). Magis tamen hic quoque Theopompum eum secutum esse quam Ephorum cum Natorpio opinor propter verba ἀποδιοπομπεῖσθαι ὥσπερ κῆρας ἐπαγωγίμους (cf. Theop. frgm. 77). Quare, quae de nummis deinceps exponuntur, haud scio an ipsa quoque ad Theopompum revocanda sint, quem verba quoque βαρύσταθμον et δυσπαρακόμιστον redolent. Sed alteram huius capitis partem inde a verbis ὥσπερ τοῦ Λυκούργου non dubito, quin Plutarchus ipse composuerit, qui cum de hominum natura ac moribus disserit, in proprio suo litterarum genere versatur. Accedit, quod verbis extremis: περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ δι' ἑτέρας που γραφῆς ἡψάμεθα Λακεδαιμονίων ipsum, quae antecedant, reputavisse probatur.

Sed redeamus ad *Diodori* illud cap. 10, quod supra iam attigimus. Ab eo enim Ephoro Diodorum usum esse, antea Theopompo Natorpius propterea existimat, quod, postquam cap. 6 de Lacedaemoniorum imperio aegre lato dictum esset, cap. 10, quomodo constitutum esset, de in-

[1]) eandem rationem vid. vit. Ages. 34.

tegro exponeretur. At quoniam, quid per trigintaviros Athenienses perpessi essent, continuo referebatur, ne aliis quidem in urbibus, qui fugissent (extr. cap. 5), in tuto fuisse narrari oportebat (init. cap. 6). Duas autem civitates, Argivos Thebanosque neglecto Lacedaemoniorum iusso hospitio illos ad se recepisse quod additur, mirum non est. Descripta igitur tota Atheniensium miseria Diodorus ad Siciliae res transit et a cap. 10 demum, quae in Graecia gesta essent, persequitur. Atque Ephorus, postquam Atheniensium res adversas tractavit, quomodo adversus Graecos Lacedaemonii se gessissent suaque auctoritate usi essent, continenter ostendisse videtur. In quo verba supervacanea: ταῖς γὰρ δημοκρατίαις προσκόπτοντες οἱ Λακεδαιμόνιοι δι' ὀλιγαρχίας ἐβούλοντο τὰς πόλεις διοικεῖσθαι, quasi nova res esset, Diodorus, ut consueverat, addidit. Et quoniam Lacedaemoniorum imperium ad Siciliam quoque pertinebat, cum de Aristo Syracusas misso et de illorum consilio subdolo fusius actum esset, Diodorus ea re ad historiam Graecam quasi reducebatur. Priusquam autem ad annum insequentem transiret (cap. 11), quae aliis locis gesta essent, percurrit. Cuius rei causa cum librum illum secundum annos descriptum, quo uti solebat, inspiceret, notam brevem de Alcibiadis morte invenisse videtur, in qua, quid Pharnabazum commovisset, additum esset: χαρίσασθαι βουλόμενος Λακεδαιμονίοις. Quod quia cum Ephoro pugnabat, quem usque eo secutus erat, huius narrationem referendam sibi esse putabat, quamquam non ita apta erat ad legentium animos alliciendos. Videmus igitur, quanti Ephorum Diodorus fecerit neque omnino Theopompum eius auctorem antea fuisse iudicabimus. Nam si fuit, quare non, quae is de Alcibiadis morte multo magnificentius narraverat, recepit? Xenophon de hac re prorsus tacuit; quae apud ceteros legimus, ab Ephori narratione abhorrent, nisi forte apud Cornelium de ea quaedam alteri relationi inserta sunt. *Plutarchus* vero, quamquam complures ante oculos habuit,

de Alcibiadis morte.

Ephoreae narrationis ne mentionem quidem fecit, id quod ii diligentius velim considerent, qui ubique Ephoro locum primum inter illius auctores attribuendum esse iudicant. Porro notandum est Ephorum seorsum esse a traditione quadam iam prius orta, quae postea quoque pervulgata fuisse videtur, qua aut Lacedaemonii aut trigintaviri Athenienses mortem Alcibiadi machinati esse dicebantur gravem illum vivum sibi adversarium esse existimantes. Nihil enim eiusmodi Ephorum praebuisse Diodori verba plana docent: τοῦ δ' Ἐφόρου δι' ἄλλας αἰτίας ἐπιβουλευθῆναι γεγραφότος, cum Diodori auctor chronologicus, a quo enuntiatum prius sumptum erat, ipse quoque illud referat. Ex iis sane, quae Xenophon Theramenem pronuntiantem facit (II, 3, 42), nihil elucet nisi trigintaviros Alcibiadis exsilium vel tenuisse vel renovasse; sed iam ab Isocrate (XVI, 40) illius fuga cum popularium peregrinatione coniungitur et Lacedaemonii atque Lysander, ut necaretur, effecisse dicuntur, quia, dum viveret, imperium suum non satis confirmatum esse putavissent. Trigintaviros tamen eius mortis auctores fuisse non dicitur, atqui tali rumore, si iam tum fuisset, haud dubie Isocrates usus esset[1]). Haec igitur narratio postea demum orta est; invenitur autem praeter Plutarchum apud Cornelium et Iustinum. Quibuscum si comparamus, quae Ephorus describenda Cyri expeditione, ut opinor, adductus rettulit, ieiuna haec et humilia esse iudicabimus; atque inde causam repeto, cur non magis apud posteriores eius narratio viguerit.

Atque ut iam singula persequamur, Plutarchum in vita Alcibiadis inde a cap. 37 parte altera ad cap. 39 eundem auctorem maximam partem continuo secutum esse apparet mira quadam cum Cornelio similitudine. *Cap. 37* enim narratur Alcibiadem, quia non iam tutus esset a Lacedaemoniis, demigravisse; cum autem in domicilio novo

---

[1]) cf. de tota re *Philippi* l. l. p. 410.

pecuniae copia Thracum aviditatem ad rapinam alliceret, ad Pharnabazum confugisse. A quo benigne exceptum et honoratum eum ad hoc ultimum contendisse, ut regem ipsum adiret eiusque auxilium civibus vexatis compararet. E Cornelii autem verbis (Alcib. 9) *supra Propontidem* concludere licet in fonte communi Bithyniae situm hoc modo descriptum fuisse. Nam Cornelius, quod Alcibiadem primo in Thraciam interiorem fugisse, postea demum in Asiam venisse tradit, erravisse videtur, cum non recte auctoris verba intellexisset narrantis de Thracum, Bithynorum scilicet, rapinis. Deinde ad fontem istum revocabimus, quod Nepos, non Plutarchus, tradit Pharnabazum illi Grynium castellum cum quinquaginta talentorum vectigali attribuisse. De consilio regis adeundi quin idem ille auctor egerit, non est, quod dubitemus. Quod cum Nepos 9,4 demum commemoret, antea autem Alcibiadem aliquamdiu cum Phar nabazo vixisse tradat, Plutarchus ab initio id in animo illi fuisse et Pharnabazi amicitiam tantum adiumenti causa petitam esse affirmat similemque Themistoclis rationem meminit. Hanc rei conformationem ad Plutarchum ipsum refero, quoniam apud Nepotem magis rerum ordo cum tota narratione consentit. Probatur enim et per se Alcibiadem a Thracibus exagitatum primo sibi ipsi confugium et vitam pacatam quaesivisse et Plutarchus cap. 17 fin. aliquamdiu illum cum Pharnabazo vixisse commemorat: συνδιῆγε θεραπεύων ἅμα καὶ τιμώμενος. Iam vero, quae Cornelius affert de Grynio castro et de vectigalibus annuis, non quadrant ad mansionem quasi interpositam itineri maiora perfecturo. Plutarchus igitur, ut opinor, regis adeundi consilium illud praecepit adiecta insuper illius et Themistoclis comparatione, postea autem ita non ad eius consilii memoriam legentium animos revocat, ut paene ipse oblitus esse videatur comparanti cap. 39 init. ἔτυχε μὲν ἐν κώμῃ τινὶ τῆς Φρυγίας ὁ Ἀλκιβιάδης τότε διαιτώμενος ἔχων Τιμάνδραν μεθ' αὑτοῦ τὴν ἑταίραν cum Cornelii verbis: *cum*

ille esset in Phrygia iterque ad regem compararet et Iustini V, 8, 13: *Quem cum profectum ad Artaxerxem Persarum regem comperissent, citato itinere miserunt, qui eum interficerent.* Iustini narratio, etiamsi Lysander et Pharnabazus non nominantur, propter summae rei similitudinem ex eodem fonte, e quo Plutarchi et Cornelii, fluxisse videtur. Et quoniam de Ephoro cogitari non potest, cum Theopompo omnia concinunt, ad hunc summam rerum, quae apud tres illos auctores exstant, referemus. Sed Cornelius (9,5) praeterea tradit Alcibiadem regis voluntatem sibi conciliare voluisse, cum Cyri insidias patefaceret, ideoque a Pharnabazo, ut ad regem mitteretur, petivisse. Est hoc quasi fundamentum, in quo Ephori descriptio exstruitur; de quo haud scio an promptum et Theopompeae relationi, quae ipsa quoque consilium regis adeundi praebuerit, insertum sit; Plutarcho utique deest.

In *cap. 38* parte priore Plutarchus quaedam refert, quae apud ceteros non leguntur. Describit enim, quantopere Athenienses poenituerit tam temere optimum urbis ducem eiecisse et, quare non prorsus populares, dum ille viveret, desperaverint. Non magis hic quam cap. 36 proditionis suspicio commemoratur. Subsit huic parti aliquid Theopompeum; sententiarum conformationem tamen Plutarcho potius tribuerim, qui haud dubie initio huius capitis, quae Athenis gesta essent, respiciens ipse comprehendit.

Ad Cornelii similitudinem accedere eius narratio denuo incipit a verbis ὁπότε καὶ τοῖς τριάκοντα φροντίζειν ἐπῄει καὶ διαπυνθάνεσθαι καὶ λόγον ἔχειν πλεῖστον κ. τ. λ. Nam trigintaviros maximeque Critiam Lysandro persuadere conatos esse, ut Alcibiadem tolleret, simillime narrat Cornelius 10,1 et breviter Iustinus § 12. Lysandrum tamen σκυτάλῃ demum magistratuum commotum esse, ut illis obsequeretur, neque isti tradunt neque satis convenit cum Theopompi consuetudine, quippe qui magis in Lysandrum et in trigintaviros malefactorum culpam conferre, quam in Lacedaemonios

soleat. Immo Plutarchus hoc ex alio quodam auctore repetivisse mihi videtur, qui famam vulgarem secutus (cf. Isocratem et Diodori auctorem chronologicum) Lacedaemoniis illius caedis culpam attribuerit, et haec duo coniunxisse, cum Lysandrum Lacedaemoniorum σκυτάλῃ commotum ad trigintavirorum voluntatem accessisse traderet. Utrum autem ephori metu agitati an ab Agide impulsi sint, haud scio an ipse secum consideraverit; nam Agidis in Alcibiadem odium eum memoria tenuisse non est, quod miremur.

In *cap. 39* eundem, quem adhuc, concentum Plutarchi et Nepotis invenimus. Utroque enim auctore Bagaeus (Magaeus) et Susamithres a Pharnabazo Alcibiadem interimere iussi in Phrygiae vico reperiunt una cum amica quadam (cuius nomen Cornelius postea demum affert). Et cum ferro illum aggredi non auderent, sed igni opprimere conarentur, Alcibiades stragulis vestibusque in flammam coniectis pugione armatus exsilit, interfectores fugat, iaculis autem et telis ictus necatur. Ac Nepos addit pugionem illum ab hospite Arcadio Alcibiadem accepisse eumque se sequi iussisse. De quo cum nihil dicat Plutarchus, sive Cornelium opinor sive eius auctorem quaedam alibi legisse et rerum ordini inserere conatum esse, sed parum probabiliter inseruisse. Qui enim factum esse putabimus, ut gladius Alcibiadi subduceretur, cum nemo in aedes illas penetravisset?

De Alcibiadis somnio Cornelius tacet, Plutarchus diversas duas relationes memoriae prodit. Atque altera ille per somnium sibi visus esse dicitur amicae veste imbutus complexu teneri colorem inducentis ipsius faciei. Hanc autem narrationem Plutarchus postea in describendis rebus sequitur, cum Timandram illius corpus sua veste tectum lautissime condidisse refert. Studiis magnis huius rei auctor Timandram persecutus esse videtur, de cuius filia quaedam adduntur. Secundum alteram narrationem (ἕτεροι

δέ φασιν) Alcibiades in somnis sicarios caput suum abscindere et corpus cremare sensit. Quocum si comparabis, quod Cornelius, non Plutarchus, narrat illius caput ad Pharnabazum allatum, corpus in aedificio accenso concrematum esse, Cornelii rerum gestarum descriptionem intelleges pertinere ad somnium illud, quod Plutarchus altero loco, non Nepos commemorat. Hic tamen addit Timandram mortui corpus concremavisse similiterque Plutarcho vestimento eius Alcibiadem velatum esse refert ita, ut rursus primum illud somnii genus reminiscamur. Quare statuendum esse existimo Plutarchum et Cornelium vel eius auctorem eisdem duabus relationibus usos esse, quarum utramque notam fuisse necesse est, et suo quemque iudicio et sensu vel haec vel illa elegisse; cum autem apud Cornelium contexendi studium cernatur, Plutarchum integras illas collocavisse nec tamen totas rettulisse.

Iustinus, quem in ceteris consentire cum istis vidimus, eo tamen differt, quod vivum in cubiculo Alcibiadem crematum esse indicat.

Auctores autem illi, quorum vestigia adhuc apud Plutarchum, Cornelium, Iustinum deprehendimus, haud dubie Alcibiadem laudibus efferre studebant. Contra exeunte vitae descriptione Plutarchea alius cuiusdam relationis mentio fit, qua nec Pharnabazus nec Lysander nec Lacedaemonii nominarentur, sed Alcibiades, quia nobilis alicuius viri uxorem corrupisset, ab eius fratribus interemptus esse diceretur. Ceterum aedificium, in quo dormiebat, incensum ipsumque, cum per flammas exsiluisset, insidiatorum telis percussum esse hac quoque narratione affirmatur.

Videmus igitur Plutarchum, quae de eius morte, cuius vitam descripserat, tam diversa ab auctoribus suis tradita invenit, referenda sibi esse censuisse eoque magis id tenebimus Ephori narrationem ab eo neglectam esse. Male sane afficiuntur, qui rebus antecedentibus perlectis Alcibia-

dis studio et misericordia capti sunt, cum exitus fama tam indigni ad extremum allata Plutarchus desinit.

Lysander summam gloriam consecutus.

Sed ut ad Lysandri vitam revertamur, in cap. 18 de auctore historico cogitari non potest; sed primo donaria Delphica describuntur (cf. Paus. X, 9) itemque Anaxandridis scriptoris Delphici dicta commemorantur, quae Plutarchus alia re respecta in dubio ponit. In quo verba οὐχ ὁμολογούμενα γράφων τοῖς .... ὁμολογουμένοις documento sunt Plutarchum quoque annominatione uti nec talia Theopompi semper vel cuiusvis scriptoris rhetorici indicia esse. (Itaque vit. Alcib. 38 nihil conclusi e verborum collocatione αἰσχρῶς αἴσχιον.)

Sequuntur narratiunculae, quarum unius auctorem Duridem Samium Plutarchus nominat. Habemus in hoc capite Lysandrum ad summum gloriae et potentiae gradum enixum; quare autem inde mox delapsus sit, cap. 19 exponitur. Splendore enim rerum gestarum ita eius animus inflatus erat, ut neque honoribus nec suppliciis modum adhiberet. Quare non solum in ceteris Graeciae urbibus odium magnum suscepit, sed etiam civibus suis aequi ordinis gravis erat. Ac ne fugere quidem Lysandrum passum esse, qui in urbium certaminibus adversi fuissent, Plutarchus Milesiorum exemplo demonstrat. Itaque inscius factum idem repetit, quod cap. 8 iam narraverat. Quod cum eum fugerit, alio ex fonte haec manavisse atque illa per se probatur. Accedit, quod duas Milesiorum factiones iam in gratiam reductas fuisse, sed Lysandri clandestina opera optimates rursus instigatos esse illic tantum, numerum octingentorum popularium, qui caesi essent, hic Plutarchus commemorat. Eorum duas partes verbo συναμφοτέρους discernit; num hae fuerunt factionis adversae principes et socii latentes? At mira haec esset divisio. Quare haud scio an aliter in eius fonte distinctum fuerit. Ceterum verbo ὕστερον efficitur ab hoc Plutarchi auctore tempori posteriori id assignatum esse, etsi, quo tempore post a. 403 Lysander gerere potuerit, non satis intellegitur.

Hunc Plutarchi auctorem non fuisse Ephorum docet alia eius rei narratio Diod. XIII, 104. Simillime autem Plutarcho a Polyaeno I, 45 4 et a Cornelio Lys. 2, quae Thasi gesta essent, describuntur. Atque e Cornelii verbis apparet nonnullas eiusmodi de Lysandri crudelitate narrationes fuisse inter se simillimas, quae ad loca varia referrentur. Unde Plutarchus sua repetiverit, diiudicare non audeo.

Ab hoc exemplo autem oratio redit ad universi generis descriptionem et ad Eteoclis cuiusdam de Lysandro iudicium traducitur, cui Plutarchus addit Theophrasto auctore idem de Alcibiade dictum traditum esse. Quare commotus utriusque vitia et inimicitiarum causas breviter comparat.

de Pharnabazo Lysandri accusatore

De Pharnabazo Lysandri accusatore (cap. 19 parte altera et 20) neque apud Xenophontem Plutarchus quicquam invenit neque ab Ephoro, quae praebet, repetivit, id quod ipsius verbis (cap. 20 fin.) probatur. Itaque a Cornelio, postquam de illius consilio secundum Ephorum actum est (cap. 3), hoc sine sententiarum conexu adiungitur. Neque Diodorus XIV, 13, 1 de Lysandri cum magistratibus discidio quicquam refert, sed omnia eum instituentem facit κατὰ τὴν τῶν ἐφόρων γνώμην. Denuo igitur probatur, quod opinatus sum, Ephoro auctore non alia Lacedaemoniorum magistratus intendisse ac Lysander perfecerit. Itaque ille ab ipsa huius summa auctoritate consilium rei publicae commutandae repetivisse videtur. Hoc autem consilio adductum Diodorus Lysandrum in Aegyptum profectum esse narrat, quod si comparamus cum Plut. Lys. 20 fin. et 25, nulla iam est dubitatio, quin re vera Diodorus hoc loco Ephorum secutus sit.

Plutarchi narratio in universum cum Nep. 4 congruit; cum autem illo auctore Pharnabazus ipse detrimento a Lysandro affectus Lacedaemonem miserit, qui eum accusarent, ideoque Lysander domum vocatus satrapi persuadere conatus sit, ut accusationes illas rescinderet, Cornelius

narrat Lysandrum sociorum expostulationes suspicatum a Pharnabazo, quem multum auctoritate apud magistratus domesticos valere sciret, petivisse, ut testimonio suo ipsum sublevaret. Cum igitur secundum Plutarchum Lysander frustra studuerit Pharnabazi crimina irrita reddere, apud Cornelium aucta sunt narratiunculae oblectamenta, ut Lysander a nullo coactus praeter aliorum crimina Pharnabazi auctoritatem in se convertisse videatur. Itaque apud Plutarchum relationem principalem exstare censeo. Insuper omnia (excepta σκυτάλης explicatione, de qua infra dicemus) tantopere opus sunt et inter se cohaerent, ut unum auctorem illum secutum esse verisimile sit. Quem Ephorum non fuisse supra iam dixi; quin Theopompum statuamus, nihil obstat. Inde enim, quod item et eisdem plerumque verbis Polyaenus s. v. Φαρνάβαζος VII, 19 hanc rem narrat, nihil efficio, quoniam is Plutarcho usus esse videtur.

Quid autem σκυτάλη fuerit, cap. 19 altera parte exponitur, quamquam iam cap. 14 Plutarchus σκυτάλης mentionem fecerat nulla explicatione adiuncta. Nec magis hic quam illic ad rem gestam intellegendam opus erat illud Lacedaemoniorum institutum penitus pernoscere. Quare aut a Plutarchi auctore una cum narratione ipsa haec exposita fuisse iudicabimus aut, si aliunde interposita sint, Plutarchum illic propterea haec omisisse opinor, quod continua rerum series ad finem quendam perducenda fuerit, hoc autem loco, cum commodius narratio per singula progrederetur, facilius ad digressionem eam adductum esse.

de Lysandri peregrinatione.

Cum hoc malo rerum eventu autem conectitur vel potius conexum fuisse apud istius narrationis auctorem videtur peregrinatio ad Iovis Hammonis oraculum suscepta. Cuius causam utrum vere Lysander indicaverit an finxerit, in incerto relinquitur, cum hominum iudicia inter se opponuntur verbis: Ἔνιοι μὲν οὖν . . . φασίν . . ., τοῖς δὲ πλείστοις ἐδόκει. Atque haec verba spectanti mihi ut Stedefeldtio (p. 25) minus verisimile videtur Plutarchum e fontibus

compluribus varia de hac re iudicia collocavisse, quam apud unum auctorem diversas aequalium sententias collatas invenisse. Quarum quae maioris ponderis esse videbatur (τοῖς δὲ πλείστοις ἐδόκει), eam habere non poterat, nisi qui Lysandrum a magistratibus alienatum aegre tulisse res domesticas conscius erat, id quod Theopompum semper tenuisse opinatus sum. Huic igitur et haec et, quae de Pharnabazi epistula antea dicta erant, attribuo.

Ad extremum indicatur aliam illius itineris causam tradere Ephorum; hunc igitur et ipsum Plutarchus adhibuit nec tamen principem secutus est, sed, quae exposuisset, postero loco referenda sibi proposuit, ubi melius cum tota rerum continuatione coniungerentur; cum ratione igitur et consilio singula disposuit.

Diodorus Alcibiadis exitio descripto, postquam pauca eodem tempore gesta tetigit, de Clearchi Byzantii tyrannide disserit, qua deleta ille in Cyri amicitiam pervenit. Haec igitur cum Cyri expeditione apud Ephorum coniuncta fuisse cum Natorpio (p. 569) opinor eidemque rerum contextui assigno, quae de Alcibiade interempto relata erant cap. 11. Ac quamquam iam tum de Cyri consilio dictum erat, tamen Diodorus more suo postea (12,8) explicandi causa quaedam addit. Deinde interrupta hac narratione cap. 13 de Lysandri consiliis disserere incipit. Atque huius capitis originem Ephoream Plutarchi verbis (Lys. 24 et 30) probari supra iam dixi. Postquam capp. 14—16 de Siciliae rebus actum est, cap. 17, quae Thebani Oropi, Pausanias in Elide gesserint, legimus. Multum haec abhorrent a Xenophontis narratione (Hell. III, 2, 21—fin.) atque adversus Lacedaemonios magis convertuntur. Male deinde hoc loco posita cap. 34, 1 demum ad finem perducuntur. Ut autem pro Tissapherne Pharnabazum nominatum esse vidimus, ita hic Agidis locum Pausanias usque tenet. Iterum Diodorus in Siciliam oratione egressus (cap. 18) capp. 19—31 Cyri expeditionem et Graecorum reditum describit. Rursus

Ephorus cap. 22 nominatur; sed de eius narratione Diodorus initium anticipavit capp. 11 sq. Et quamquam iam tum de Cyri consilio locutus erat, tamen hic denuo rem exponere incipit. Quod 23, 1 rex per Pharnabazum de Cyri apparatu certior factus esse dicitur, convenit cum cap. 11, quod Ephoro deberi Diodorus ipse pronuntiaverat. Iam si cum his locis comparamus Xen. Anab. I, 2,5 καὶ βασιλεὺς μὲν δὴ ἐπεὶ ἤκουσε Τισσαφέρνους τὸν Κύρου στόλον, denuo Ephorum Pharnabazo Tissaphernis partes tribuere cognoscimus. Capp. 32 sq. demum popularium Atheniensium reditum Diodorus persequitur, qui quomodo ad magnam istam ordinis confusionem deductus sit, vereor ne explicari non possit. Non parvi utique momenti erat, quod tam saepe narrationis continuationem praecidebat, ut, quae alibi gesta essent, adderet. Simillime haec res legitur apud Iustinum V, 9. Eiusdem autem capitis §§ 3—5 cum Diod. XIV, 5 et 6 congruunt. Quare nisi forte ex hoc auctore haec, ex illo illa utrumque pariter sumpsisse statuemus, Diodorum dicemus capp. 32 sq eundem auctorem secutum esse, quem capp. 5 sq; itaque iam ante XIV, 11 Ephoro illum usum esse denuo probatur.

Lysander denuo Athenas missus.

De Lysandri altera adversus Athenas expeditione (cap. 21) *Plutarchus* Xenophonte uti poterat, etsi apud eum de illius peregrinatione nihil legimus, sed II, 4, 28 Lysandrum Lacedaemone invenimus. Atque a magistratibus impetravisse dicitur, ut Lacedaemoniorum fautoribus Atheniensibus centum talenta darentur et ut ipse harmostes, Libys frater nauarchus emitterentur. Centum illa talenta Plutarchus quoque commemorat itemque Lysandri imperium, sed στρατηγὸν eum fuisse tradit. Ac si quis neque hoc neque omissam Libyis nauarchiam ita magni momenti esse putet, id tamen Plutarchi proprium consideret, quod reges ambo, ut Lysandri amicos in ceteris urbibus imperio deicere constituissent, ita Athenas profectum ut alter subsequeretur eiusque consiliis officeret, consensisse dicuntur,

cum Xen., Diod. 33, Paus. III, 5, Iustinus V, 9 Pausaniam solum commemorent. Cetera, quia in universum dicuntur, documento non sunt. Tota autem haec res apte cohaeret cum Lysandri absentia, qui, cum de Thrasybuli conatu certior factus esset, quam celerrime rediit. E Theopompo igitur opinor Plutarchum et, quae praecedunt, et haec sumpsisse. De Ephoro cogitare vel eo vetamur, quod Diod. 33, 5 decemviros a Lacedaemoniis quadraginta naves et milites mille, quibus Lysander praeesset, nactos esse refert. Praeterea secundum Diodorum alterius regis invidia illi obnixa esse videtur, secundum Plutarchum uterque rex illius in re publica consilia iam dudum impugnavisse, id quod iterum cum Theopompi ratione, quam statuimus, convenit. Nec vero, quod in huius capitis fine, quae postea gesta essent, Lysandri aestimationi profuisse, Pausaniae nocuisse praemonetur, ab illo abhorret.

Cap. 22 dicta quaedam narrantur, non quo isti tempori assignanda essent — nam Corinthiorum defectio, ut exemplum afferam, multo post facta est —, sed quia continentur una sententia: ἦν δὲ καὶ τῷ λόγῳ θρασὺς καὶ καταπληκτικὸς πρὸς τοὺς ἀντιτείνοντας, cui similia cap. 19 comprehensa erant. Itaque non e fonte historico, sed e dictorum corpore haec repetita esse apparet. Atque hoc ipso loco collocata esse propterea videntur, quod Plutarchus de Agesilai regno dicturus erat, per quem Lysander, cum potentiam se recuperaturum esse speravisset, auctoritatis iacturam fecit. His igitur narratiunculis Plutarchus vitae partem novam, quae incipit a verbis: Ἐπεὶ δὲ Ἆγις ὁ βασιλεὺς ἐτελεύτησεν, ab iis, quae praecedunt, seiunxit et quasi introduxit.

Sed priusquam ad Agesilai regni initium transeam, quae *Diodorus* usque eo rettulit, percurram. Qui postquam cap. 34 belli Elei exitum descripsit, Messeniorum calamitatem tangit, de qua Xenophon nihil exhibet. Cap. 35, quomodo Asiae minoris satrapes et urbes Tissaphernis adventum acceperint, exponit (cf. Hell. III, 1, 3 sqq) atque

abhinc a Pharnabazo Tissaphernem distinguit, quem in narranda Cyri expeditione XIV, 23, 7 induxerat verbis: Τισσαφέρνης ἀνὴρ Πέρσης. Neque in universum tantum de urbium Ionicarum defensione ut Xenophon disserit, sed irritum Tissaphernis in Cymen impetum commemorat (35,7). Cap. 36 de Thibrone misso agitur, cuius copiarum numerum eundem Xenophon § 4 tradit, quae autem in Asia gessissent, aliter refert. Deinde exercitus Cyrei reliquias Xenophonte duce ad illum se contulisse aliaque eodem tempore alibi gesta legimus cap. 37. Quae de Dercyllidae belli administratione narrantur (cap. 38), congruunt cum Ephori frgm. 130, quod etsi simile est Xenophontis Hell. III, 1, 8, et verbis aliis dictum et uberius expositum est. Ac si Diodori verba pauca cum fragmento isto comparamus, Diodorum suis ipsius verbis rem translatam exprimere intellegimus, ut supra (p. 9) iam dixi. § 3 Diodorus et easdem urbes nominat, quas Xenophon III, 1, 16 sq et, postquam de rebus Graeciae ipsius, quas ille hoc loco non tangit, breviter locutus est, Dercyllidae in Chersonesum Thraciam expeditionem item describit. Cap. 39 Conon Persarum classi praefectus esse dicitur, id quod Xenophon postea demum indicat; sed, quae Tissaphernes et Pharnabazus cum Dercyllida pacti essent, ipse quoque exponit.

Theopompi de Agesilao iudicium

Iam vero, ut ad *Agesilai vitam* transeamus, magni eum aestimavisse comperimus Theopompum frgm. 24 (Plut. Ages. 10): καὶ μέγιστος μὲν ἦν ὁμολογουμένως καὶ τῶν τότε ζώντων ἐπιφανέστατος, ὡς εἴρηκέ που καὶ Θεόπομπος. Maximeque item ac Xenophon continentiam illius vere Spartanam (τὸ περὶ τὴν γαστέρα τῶν Λακώνων ἐγκρατές) admiratus est (frgm. 23 cf. cum frgm. 11). Atque de hac re, quae, cum ille in Aegypto honorificentissime exceptus esset, maxime patefiebat, Theopompum et in Philippicis et in Hellenicis locutum esse frgm. 23 comperimus. Sed idem dure et inique ab illo factum quiddam tradidit frgm. 268. Deinde Plutarcho auctore (Ages. 32) Theopompus solus tradidit Agesilaum

Thebanis, cum iam ultro e Laconia decessuri essent, decem talentorum largitionem, ut decederent, obtulisse, quo non augetur, sed paene in risum vertitur Agesilai auctoritas. Et admiranda igitur et indigna Theopompus de illo memoriae prodidit. De Ephori iudicio nihil scimus, nisi quae e Diodori narratione licet concludere.

Xenophon idoneus Plutarcho auctor.

Egregie autem ad ea, quae Plutarchus intendebat, Xenophontis narratio apta erat (cf. Plut. Ages. et Pomp. compar. cap. 3), quippe qui necessitudine cum Agesilao coniunctus summo studio eius gesta in historia Graeca tractavit. Praeter eam autem Agesilai laudatio spectanda est. Nam quae de huius moribus capp. 1 et 2 Plutarchus narrat, partim in encomio isto quoque passim leguntur (cf. VII, 2, X, 2. 4. XI, 7. 10. 15. VIII, 1. 2, ubi verba quoque ἵλαρος = Plut. ἱλαρότης et εὔθυμος congruunt), etsi in plerisque non ita conspicua ac perfecta similitudo est. Quare, quamquam Plutarchum encomio se usum esse ipse profitetur (capp. 4 et 19), tamen illa inde excerpta esse non censo, sed toto opere perlecto quaedam in Plutarchi memoria haesisse. Ceterum nonnulla illic non leguntur velut Lysandrum Agesilai ἐραστὴν fuisse; ac non pauca e philosophorum scriptis manavisse videntur, de quibus Theophrastus cap. 2 fin. nominatur.

de ratione parti regni.

Quomodo Agesilaus regnum adeptus sit, Ages. 3 similiter narratur ac Lys. 22 et Alcib. 23, et haec Plutarchi descriptio prope accedit ad Xenophontem. Agis enim Leotychidem filium non agnovisse dicitur (Ag. 3, Lys. 22, Alc. 23 = Hell. III, 3, 2), quia plus decem mensibus post terrae motum illum natus esset, id quod leviter significatur Lys. 22, planius dicitur Ages. 3 fin. subiectis verbis Agesilao item fere atque apud Xenophontem, ex Agidis sententia (magis explicata quam Lys. 22) Alcib. 23 = Hell. III, 3, 2 fin. Id iudicium autem Agis mutavit, cum aeger Heraeam delatus esset Lys. 22 = Hell. III, 3, 1. Insuper Leotychidis operam adiuvit Διοπείθης ἀνὴρ χρησμολόγος Ages. 3,

Διοπείθης ἀνὴρ εὐδόκιμος ἐπὶ χρησμολογίᾳ Lys. 22 = Hell. § 3 Διοπείθης δέ, μάλα χρησμολόγος ἀνήρ. Sed, quod affert, oraculum aliter interpretatus Lysander eius contentionem infringit, in quo verba: προσπταίσας τις τὸν πόδα . . . . γνήσιος ὢν μηδὲ Ἡρακλείδης Ages. 3 et προσπταίσας τις . . . . νόθοι καὶ κακῶς γεγονότες βασιλεύσουσι σὺν Ἡρακλείδαις Lys. 22 conferas cum Hell. § 3 προσπταίσας τις χωλεῦσαι . . . . οὐκ ὢν τοῦ γένους βασιλεύσει . . . . ὁπότε μὴ οἱ ἀφ' Ἡρακλέους τῆς πόλεως ἡγοῖντο.

Sed nova Xenophonti adduntur, e quibus haec duabus aut tribus vitis communia sunt:

1) Alcibiades Leotychidis parens fuisse dicitur, id quod neque Thucydides tradidit, ubi Agidis animum infensum Alcibiadi fuisse meminit (VIII, 12, 2 et 45, 1) neque Xenophon. Atque Plutarchus Lys. 22 et Ages. 3 id suspicionis et criminis loco, Alcib. 23 ut certe factum profert.

2) Timaea puero illi in occulto Alcibiadis nomen imposuisse fertur, Alcibiades autem ipse professus esse honore ductum se intendisse, ut a se nati Lacedaemone regnarent. Utrumque Ages. 3 Duris dicitur tradidisse, deinde ut vere factum narratur ea de causa Alcibiadem clam Lacedaemone discessisse. Alcib. 23 vero utrumque ut res facta traditur; Plutarchus igitur hoc loco non eadem, qua alias, iudicii cautione, quae Duris tulerat, rettulit. In Lysandri vita utrumque deest. Idemne Duris ab Alcibiade Leotychidem genitum fuisse, quod quin post Thucydidis et Xenophontis tempora fictum sit, dubium non est, memoriae prodidit? Mihi id, etsi Ages. 3 Duridis nomen postea demum ponitur, respicienti, quomodo Xenophon nominatus sit Ages. 4 et 19 et Ephorus Lys. 25, reiciendum non esse videtur. Nam quod Iustinus V, 2, 5 idem significat verbis *cognita re per uxorem Agidis regis, quam adulterio cognoverat,* unde hoc ortum sit, non liquet.

3) Agidem aegrum postremo coram testibus Leotychidem filium agnovisse et Plutarchus affirmat Ages. 3,

Lys. 22 et Nepos Ages. I, 3 et Paus. III, 8, 7. Quod Xenophon si scivisset, haud dubie in colloquio illo (III, 3, 2) Leotychidem demonstrantem fecisset.

4) Lysander Agesilao auctor fuisse fertur regni appetendi (Ages. 3 ἐπὶ τὴν βασιλείαν προῆγεν, Lys. 4 ἔπεισεν ἀντιλαμβάνεσθαι τῆς βασιλείας), cum eius amans esset (Lys. 22, id quod in Ages. vita iam cap. 2 dictum erat). Contra apud Xenophontem nihil nisi eum Agesilaum adversus Diopithem adiuvisse legimus.

5) Oraculi illius verba comperimus Ages. 3 et Lys. 22 eademque fere Paus. l. l.

Quae cum ita sint, Plutarchum auctore usum esse statuemus, qui Xenophontis narrationem amplificaverit, quem apud Cornelium quoque (Ages. I, 4 sq) subesse concluserim e verbis: *quem ille natum non agnoverat, eundem moriens suum esse dixerat.* Apud Pausaniam non pauca ita mutata legimus, ut Leotychides iure regnum appetivisse videatur, e quo ab Agesilao expulsus sit (§ 8). Contra apud Plutarchum sicut apud Xenophontem spuriae originis suspicionem non iniustam fuisse atque in Agidis animo insedisse cognoscimus; et quod Plutarcho auctore moriturus Leotychidem filium suum esse declaravit, illius et amicorum precibus commotus esse dicitur. Itaque Agesilaus bona fide regiam potestatem sibi vindicat ὡς οὐ προσήκουσαν ὄντι νόθῳ τῷ Λεωτυχίδῃ (Ages. 3) a Lysandro monitus. Mirabimur igitur, quod aliter de eadem re Plutarchus agit in Ages. et Pomp. compar. cap. 1: Ἀγησίλαος τὴν βασιλείαν ἔδοξε λαβεῖν οὔτε τὰ πρὸς θεοὺς ἄμεμπτος οὔτε τὰ πρὸς ἀνθρώπους, κρίνας νοθείας Λεωτυχίδην, ὃν υἱὸν ἀπέδειξεν ὁ ἀδελφὸς γνήσιον, τὸν δὲ χρησμὸν κατειρωνευσάμενος τὸν περὶ τῆς χωλότητος (cf. etiam compar. cap. 2 init.). Quare cum hic ipsius Plutarchi iudicium haud dubie habeamus, illic (Ages. 3) auctoris sententiam eum secutum esse censebimus. Nec tamen singula eum transposuisse (exceptis oraculi verbis), sed auctoris vel auctorum narratione aliquatenus perlecta

rem memoria tenuisse ac suopte ingenio conformatam rettulisse apparet e vario singularum rerum ordine.

In Lysandri enim vita primo rerum condicio exponitur, cum Agide mortuo Lysandrum Agesilao, ut regnum appeteret, persuasisse narratur. Deinde vindiciae istae eo probantur, quod non ab Agide natus esse Leotychides videretur. Quare autem videretur et quomodo Agis rem tractavisset, cum additum esset, ad Diopithis monitionem et Lysandri responsum narratio perducitur.

In Agesilai vita Plutarchus ab Alcibiadis ad Lacedaemonios fuga et ab hominum suspicione orsus, quomodo postea et Agis se gessisset et Timaea et quid Alcibiades ipse professus esset, refert. Deinde Agide mortuo, cum paulo ante suum esse Leotychidem pronuntiavisset, Lysandrum, qui summa tum esset potentia, Agesilaum excitavisse et adiuvisse tradit et, quare ille aliis quoque probatus esset, explicat. Atque ubi Diopithis contentionem et Lysandri responsum commemoravit, Agesilaum spuriam Leotychidis originem argumentis confirmantem facit.

Alcib. 23 pulcherrime haec cum iis, quae antecedunt, coniunguntur. Alcibiades enim extraneis quibusdam rebus vitam suam, ubicumque fuerit, ad hominum consuetudinem accommodavisse dicitur ac tamen ita non vere mutavisse mores innatos, ut Lacedaemone reginam adulterio pelliceret. Deinde, quomodo et Timaea et Alcibiades temere illud patefecissent et quare maxime Agidis suspicio aucta esset, explicatur. Leotychidem autem ea de causa non agnitum frustra successionis ius expertum esse leviter tantum significatur.

Plutarchus igitur, quoniam rebus pertractatis expedite utitur, facile in duabus vitis Duridis relationem ceteris inserere et utroque loco verbo ψιθυρίζειν de Timaea uti potuit; sed, si mavis, iterum eum, quae de Duride excerpserat, inspexisse statuas. Utique posterioris aetatis auctore, qui Duridis narrationem cum aliis contexuisset, Plutarchum

usum esse concludendum non est; sed quem auctorem praecipuum hoc loco secutus est, a Xenophontis relatione profectus nova quaedam addidit. Atque de Theopompo hic quoque potissimum cogito, quippe cui narrationis color optime conveniat, etsi, quid Ephorus scripserit, e Diodori opere non cognoscimus.

Sed Ages. 3 fin. mirum in modum cum Xenophonte congruit. Neptunus enim, quippe qui terram moveret, ab Agesilao testis nominatur, quoniam decem mensibus antequam Leotychides natus esset, Agidem e cubiculo expulisset neque ab eo tempore hic cum coniuge una fuisset. Insignis est haec rei conformatio ac plane orta ex Hell. III, 3, 2, etsi Xenophon oratione recta et lingua Dorica utitur. In Lysandri et Alcibiadis vitis idem alio loco atque ut factum, non a quoquam dictum ponitur. Et cum insuper in fine cap. 3 adiectum sit, cum Buechsenschuetzio (p. 248) hoc a Xenophonte ipso repetitum esse existimo. Cui si verba priora quoque: οὐ γὰρ εἰ προσπταίσας τις κ.τ.λ. tribuerentur, ut Buechsenschuetzius voluit, Lys. 22 fin. item ex Hellenicis ipsis manavisse statuendum esset. Quod mihi non probatur, quia convenientia illa tam mira non est Theopompumque similiter rem exprimere necesse fuit; sed multo melius, cur Neptuni testimonium in una Ages. vita postremo additum sit, intellego, si in hac tantum Plutarchum Hellenica inspexisse ponitur. Nec mirum; nam de Lysandro cum iam diutius Xenophon nihil praebuisset Plutarcho aptum, hoc quoque loco vit. Lys. eum neglectum esse facile intellegitur. Contra in Ages. vita ab initio eius ut auctoris gravissimi Plutarchus rationem habebat, etsi hoc loco strictim tantum eum adhibuisse et magis Theopompi narratione ab illo profecta usus esse videtur.

Ages. cap. 4 dimidiam partem rei regiae propinquis pauperibus Agesilaum distribuisse simillime narratur atque encom. IV, 5. Ac statim Xenophontis nomen a Plutarcho subicitur, id quod ad encom. VI, 4 referendum esse videtur.

Quamquam igitur iam illud, quod proxime antecedit, a Xenophonte repetitum esse verisimile est, tamen non ante nominatur, quam breviter aliquid ab eo dictum Plutarchus refert, quod explanandum sibi proposuit. Quae autem ideo addidit, partim ipse invenit; itaque cum de regum Lacedaemoniorum et magistratuum ratione disserit, ad vitam alteram legentes revocat: ὡς ἐν τοῖς περὶ Λυκούργου γέγραπται. Sed cum rebus singulis, quomodo adversus ephoros et gerontes ille se gesserit, demonstretur, aliunde quaedam repetita esse statuemus.

Cap. 5. Agesilaum magnopere amicis consuluisse praedicatur etiam encom. I, 19. VIII, 1. XI, 10. 12, erga adversarios autem animo liberali et placabili fuisse encom. VII, 3 similiter legimus. A Xenophonte tamen Plutarchus differt, cum illud etiam vitio Agesilao ita vertit, ut amicorum causa eum vel peccavisse affirmet, sicut de Lysandro quoque iudicaverat. Hoc modo oppositio quaedam sententiarum evadit, quam per singula membra Plutarchus deinde persequitur: ἐχθρὸς ἦν ἀμεμπτότερος ἢ φίλος. Quare cum multorum animos Agesilaus sibi conciliavisset, ephoros potentiam eius veritos poenam statuisse legimus, quamquam cap. 4 pacis rationem inter utrosque fuisse dictum erat. Sed sive alium atque illic sive eundem auctorem hoc loco Plutarchus secutus est, quae de Lycurgi consilio deinde disseruntur, de suo addidisse videtur, quoniam ad propriam eius scientiam pertinent. Itaque loci Homerici ei in mentem venit sophistarum ratione a quibusdam explicati, quorum sententiae accedere dubitat.

De summa imperii adversus Persas suscepta.

Quae de summa imperii adversus Persas suscepta narrantur Ages. 6 (cf. Lys. 23), non solum in universum cum Xenophonte conveniunt, sed etiam in singulis quibusdam ei similia sunt. Lysander enim ab utroque dicitur Agesilao persuasisse cum aliis rebus commotus tum studio sui studiosos in Asiae urbibus adiuvandi. Apud utrumque deinde 30 Spartiatarum, 2000 libertinorum, 6000 sociorum numeri exstant.

Nonnulla tamen Xenophonti aut addita sunt aut ab eo discrepant:

1) Quod Agesilaum vixdum regnum adeptum esse, cum ad bellum illud animum intenderet, affirmatur (νεωστὶ παρειληφότος cf. Lys. 23 εὐθὺς οὖν), pugnat cum Xenophonte secundum quem (Hell. III, 3, 4 cf. cum III, 4, 1) unum fere annum ille iam tum regnaverat. At in encom. I, 6 quoque legimus: ἄρτι δὲ ὄντος αὐτοῦ ἐντῇ ἀρχῇ. Sic enim simplicius ad res in bello gestas transire poterat, qui, quae antecesserat, oppressam Cinadonis coniurationem omittebat. Ita apud Plutarchum quoque hanc discrepantiam explico.

2) Xenophonte auctore (Hell. III, 4, 2) ab ephoris decemviratus in urbibus sublati erant, secundum Plutarchum tum ubique a civibus expellebantur (observes imperfecta ἐξέπιπτον et ἀπέθνησκον).

3) Lysandrum id egisse comperimus, ut socii ex. Asiae urbibus Lacedaemonem mitterent, qui Agesilaum ducem belli peterent.

4) Proprie demonstratur Lysandrum, cum imperium istud Agesilao compararet, etiam melius de eo meritum esse, quam cum regnum appetentem aduvisset; qua de re cf. porro Ages. et Pomp. compar Cap. 1.

Non solum, quod primo loco, sed etiam, quae tertio et quarto commemoravi, in vit. Lys. 23 item inveniuntur, neque haec duo, quae proxime attuli, in Agesilai vita una ponuntur. Itaque res tota ad unum auctorem referenda esse videtur, qui Xenophontis opere libere usus sit aliaque addiderit. Nihil efficitur e Cornelii narratione brevi (Ages. 2), qui Agesilai laudatione Xenophontea (I, 6 sqq) iam istic usus esse videtur. Nec plura e Justino (VI, 2, 4) discimus, qui ipse quoque sociorum legationem commemorat, etsi Lysandrum auctorem non nominat. Ac quamquam Diod. 79, 1 ipse quoque 30 civium, 6000 militum mentionem facit, tamen de Ephoro non cogito, quia duo milia libertinornm non Diodori neglegentia omissa sunt, sed etiam eius fonti

deerant, id quod e totius numeri ratione § 2 cognoscitur; sed summam rerum Theopompo tribuerim, praeter quem ipso quoque Xenophonte Plutarchum usum esse statui potest.

In altera huius capitis parte inde a verbis Ἀθροιζομένης δὲ τῆς δυνάμεως iterum Xenophonti similiter narratur, dum Geraestum sociorum copiae convenirent, ipsum Agesilaum Aulide sacra facturum Boeotarchorum iussu impeditum esse. Sed, quomodo somnio quodam Agesilaus ad imitandum Agamemnonis sacrificium excitatus sit, additur. Deinde afflicto animo eum Aulide profectum esse legimus, cum sacrificium perturbatum irritae expeditionis omen esse sentiret. Et qua re Boeotarchi commoti sint, plane explicatur neque ἱππέας, sed ὑπηρέτας misisse dicuntur, ut non tam vi et superbia usi esse, quam morem patrium et religionem defendisse videantur.

Natorp p. 574, Petrou p. 38, Sachse l. l. multum tribuerunt similitudini Paus. III, 9, 1—5. At Agamemnonis comparationem, quam iam Xenophon tetigerat, persequi cuivis in promptu erat. Insuper neglegenda non sunt, quae discrepant. Apud Pausaniam enim Agesilaum collecto demum exercitu Aulidem venisse legimus sacrificaturum ab initio Dianae, cum se ipse conferret cum Agamemnone, quo quanto maiora molitus sit, rhetorice demonstratur. Deinde Thebani armati e fano eum expulisse dicuntur nulla eius rei ratione allata, itemque § 10 ὕβριδος accusantur.

Quod autem vit. Pelop. 21 Plutarchus similiter et somnii illius et mali belli eventus mentionem facit, fontem communem indagare non licet. Plutarchus enim exempla, quae isto loco collocat, in quarti saeculi fonte coniuncta non invenit, sed ex sua et fabularum et rerum gestarum scientia deprompsit. Probatur id saltem eo, quod Themistoclis sacrificium item commemoratur ac vit. Themist. 13, ubi Phanias Eresius testis nominatur.

Quae de Agesilai somnio narrantur, ad Theopompum referri possunt; quae autem pro Boeotarchis Plutarchus attulit, sicut convenit viro Chaeroneensi, ad Boeotium nescio quem auctorem potius revocaverim. Singula quaedam a Xenophonte ipso repeti potuerunt velut, quod Geraestum naves coactas esse narratur.

De Agesilai et Lysandri discidio.

De Agesilai et Lysandri discidio (Ages. 7, 8, Lys. 23, 24 init.) Plutarchus cum Xenophonte (III, 4, 7 sqq) non solum in rebus, sed etiam nonnunquam in verbis congruit velut Ages. 7: ὄχλου φοιτῶντος ἐπὶ θύρας ἑκάστοτε καὶ πάντων παρακολουθούντων καὶ θεραπευόντων ἐκεῖνον = Hell. § 7 καὶ διὰ ταῦτα ἀεὶ παμπληθὴς ὄχλος θεραπεύων αὐτὸν ἠκολούθει. Congruunt deinde colloquii verba et, quae de Spithridatis transfugio singula adduntur. Sed iam ab aliis in colloquio isto observata est unius verbi discrepantia. Cum enim Xenophon Lysandrum dicentem faciat: ἀλλ' ἴσως καὶ μᾶλλον εἰκότα σὺ ποιεῖς ἢ ἐγὼ ἔπραττον, utroque Plutarchi loco legimus: ἀλλ' ἴσως ταῦτα σοι λέλεκται βέλτιον ἢ ἐμοὶ πέπρακται (Ages. 8) ἀλλ' ἴσως μέν, ὦ Ἀγησίλαε, σοὶ λέλεκται κάλλιον ἢ ἐμοὶ πέπρακται (Lys. 23). Videmus Xenophontis verba quasi mucrone novo ornata esse, id quod Theopompo maxime, ut opinor, convenit.

In priore huius narrationis parte Xenophontis relationi haud dubie aliunde additum est κρεοδαίτην Lysandrum a rege declaratum esse.

Ceteris, quae nova legimus, Xenophontis narratio simplex exornatur. Ac de his quoque nonnulla ambabus vitis communia sunt. Quod enim Xenophon dixerat Lysandrum regem, Agesilaum hominem privatum visum esse, Plutarchus, etsi singula differunt, utroque loco ita vertit, ut huic imperii nomen, illi veram auctoritatem et potentiam fuisse scribat. Deinde Lysander ad extremum amicis suasisse dicitur, ut regem observarent eosque, qui plus quam ipse apud eum gratia valerent. Denique, quam perniciosum esset rei publicae, si οἱ φιλότιμοι componerentur, in utraque vita consideratur.

Diverse tamen, quare Lysandrum potissimum homines coluissent, explicatur. Lys. 23 enim, quia Agesilaum plerique ignorarent, cum Lysandro non paucis olim commercium fuisset, amicos hunc adulatos esse, inimicos timuisse legimus. Et quantum utriusque status a vera auctoritate discrepuerit, illustratur tragoediae similitudine, ad quam postea quoque verba respiciunt: συσταλῆναι ἄχρι τῶν δευτεραίων. Contra Ages. 7 id monemur nullum imperatorem antea in Asia Lysandro truciorem fuisse, nullum graviorem neque in amicis adiuvandis neque in impugnandis inimicis et mansisse istam violentiam superbiamque, cum Agesilaus simpliciter et comiter se gereret.

Deinde aliter de utriusque ratione iudicatur aliterque, quomodo simultas progressa sit, depingitur. Lys. 23 enim primo demonstratur fieri non potuisse, quin inter se concurrerent, Agesilao autem, quod virum tam bene de se meritum turpiter abiecisset, indignum fuisse. Inde enim initium fecisse dicitur, ut nullam illi occasionem bene quicquam gerendi daret; deinde, quibus illum favere sciret, eis non praebuisse, quae peterent — hoc ambabus vitis commune est idemque apud Xenophontem invenitur —; cum autem Lysandri asseclae, quamvis ab hoc ipso, ut desinerent, moniti usque eum in gymnasiis adirent et observarent, invidia ductus homines mediocres duces vel rebus gerendis vel urbibus administrandis praefecisse dicitur, illum κρεοδαίτην delegisse οἷον ἐφυβρίζων contemptim de eo locutus. Contra Ages 7, 8 init. primo Spartiatas ceteros Lysandri auctoritatem aegre tulisse comperimus (χαλεπῶς ἔφερον ὑπηρέται Λυσάνδρου μᾶλλον ἢ σύμβουλοι βασιλέως ὄντες), deinde Agesilaum quoque, quamvis non invidus esset, gloriae suae timuisse; itaque primum, quod ille intenderet, repudiavisse, deinde eius clientes re infecta dimisisse, denique lites contra eius voluntatem semper diiudicavisse. De Ionum observantia non intermissa nihil dicitur, Lysandrum autem, cum gratiam amissam osten-

deret, in odium vocare velle regem visum esse legimus ideoque hunc magis etiam κρεοδαίτου munere delato eum premere voluisse; iterum dictum illud affertur non appositis tamen verbis οἷον ἐφυβρίζων; et quae de hominum honoris cupidorum in universum et de horum, de quibus agebatur, peccato proprie illic diversis locis prius dicta erant, hic in fine totius narrationis composita sunt ita tamen, ut Agesilai invidia, Lysandri in eum beneficia non iam commemorentur, φορτικὸν hunc fuisse plane dicatur. Vel ex his, quae attuli, satis apparet, quod etiam pluribus rebus demonstrari potest, in Lysandri vita de Lysandro, in Agesilai de hoc melius iudicari.

Atque ut in harum rerum fontes inquiramus, eum auctorem, qui κρεοδαίτην Lysandrum factum esse commemoraverit, fusius de illorum discordia egisse perspicuum est. Quod num Ephorus fecerit, e Diodoro non cognoscitur; Theopompum fecisse infra probabitur. Huic igitur non modo λέλεκται illud attribuerim, sed etiam κρεοδαίτου mentionem aliaque, quibus, quomodo res gesta sit, magis illustratur; itaque, quae his vitis communia Xenophonti addita sunt, facile explicantur. Sed respicienda sunt ista, quae differunt; quorum nonnulla ita interpretanda censeo, ut ex uberiore Theopompi narratione Plutarchum modo hoc, modo illud omisisse statuam velut quod, quibus rebus Agesilaus simultatem aperuerit, varie exponitur. Praeterea autem Plutarchus ipse interdum rerum rationem varie conexuisse videtur, cum Lys. 23 Agesilaum, quia Lysandrum observare multi perrexissent, Ages. 8, quia ipsi invidiam conflare ille videretur, κρεοδαίτην eum declaravisse referat. Itemque haud scio an Plutarchus, quare Lysander tanta auctoritate apud Iones fuisset, ipse invenerit aut saltem de suo aliquid addiderit. Haud dubie vero eius proprium est, quod in favorem modo Lysandri, modo Agesilai narratio vertitur. Nam ad duos auctores hanc coloris differentiam revocare vetamur ipsa rerum magna similitudine.

Immo vero Plutarchus in Lysandri vita, quoniam magna eius de rege merita modo tractaverat, cum eo quodammodo sensit acerbitatem non relatae pro beneficiis gratiae; contra illic Agesilai res tanto studio amplexus est, ut magis eius partes sustineret. Deinde tragoediae comparationem Plutarcho assigno, idemque haud scio an de gloriae cupiditatis parte minus laudanda et de illorum utriusque vitio ipse philosophatus sit. Nam etsi haec in ambabus vitis similiter leguntur, tamen Plutarchum bis ad eandem sententiarum seriem eadem re adductum esse veri dissimile non videtur. Qui ad auctorem communem ista diversis locis posita refert, ei denuo probatur, quod in huius facti tractatione omnino apparet, Plutarchum non auctoris enuntiata singula transposuisse excepto fortasse colloquio illo, sed narrationis partem maiorem perlectam memoriter et ipsius ingenio conformatam rettulisse.

Praeter Theopompum autem Xenophontem ipsum quoque inspectum esse propter magnam quarundam rerum similitudinem supra demonstratam coniecerim.

De Lysandri consilio commutandae rei publicae.

Lysandrum commutandae rei publicae consilium inisse copiose narratur Lys. 24—26, strictim attingitur Ages. 8; utroque autem loco a laeso per Agesilaum animo causa repetitur. Quod ad Ephorum utique referendum non est; is enim hoc cum Lysandri in Libyam peregrinatione conexuit, quae summae potentiae tempori, cum decemviri etiamtum exstarent aut expelli vix coepissent cumque populares Athenienses nondum revertissent assignatur (cf. Plut. Lys. 20 fin., Nep. Lys. 3, Diod. XIV, 13 sq). Contra is, qui tum demum Lysandri consilium commemoravit, cum, quomodo ab Agesilao immerito abiectus esset, exposuerat, quodammodo eum excusavit; atque eum Theopompum fuisse item ac Natorp (p. 575) existimo. Quod si recte facio, Theopompum de illorum discordia fusius disseruisse concludi potest, quo verisimilius fit, quod supra (p. 88) opinatus sum.

Plutarchus sane, etsi non in vit. Ages. brevi nota — hic legimus: τὸν λοιπὸν χρόνον ἐβούλευεν — at in accurata narratione Lys. 24 docet: μισῶν δὲ καὶ τὴν ὅλην πολιτείαν ἔτι μᾶλλον ἢ πρότερον καὶ τὰ πάλαι δοκοῦντα συγκεῖσθαι καὶ μεμηχανῆσθαι πρὸς μεταβολὴν καὶ νεωτερισμὸν ἐγνωκὼς ἐγχειρεῖν τότε καὶ μὴ διαμέλλειν; quocum convenit, quod paulo post consilium illud ad summae potentiae tempus refertur: ὡς εἰς δόξαν τῶν πράξεων ἤρθη μεγάλην καὶ φίλους ἐκέκτητο πολλοὺς καὶ δύναμιν, ἤχθετο τὴν πόλιν ὁρῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ μὲν αὐξανομένην κ. τ. λ. Quare equidem Plutarchum Theopompi relationem cum Ephori descriptione, quam et ipsam ei hoc loco ante oculos fuisse infra probabitur, vel consulto contexuisse vel inscientem confudisse opinor.

Quae de Heraclidis et de duabus domibus regiis interposita sunt, Plutarchus de suo addere potuit.

Quae usque eo exposita sunt, conveniunt earum rei relationum, quae in fine huius capitis distinguuntur, priori, qua Lysander Heraclidis tantum cunctis regni facultatem dare voluisse dicebatur. Opponitur autem verbis ὡς δὲ ἔνιοί φασιν aliorum iudicium, qui Spartiatis omnibus illum potestatem istam patefacturum fuisse existimaverant. Atque ex horum numero et is est, quem cap. 26 Plutarchus sequitur, (cf. 26 fin.: ἐκ τῶν ἀρίστων πολιτῶν αἱρουμένοις τοὺς βασιλέας) et Ephorus (cf. Plut. Lys. 30, ubi Ephorus nominatur: τὴν βασιλείαν . . . εἰς μέσον θεῖναι καὶ ποιεῖσθαι τὴν αἵρεσιν ἐκ τῶν ἀρίστων; Diod. XIV, 13, 2: κοινὴν ἐκ πάντων Σπαρτιατῶν ποιῆσαι τὴν αἵρεσιν τῶν βασιλέων et § 8: πείθων ἐξ ἁπάντων τῶν πολιτῶν αἱρετοὺς γίνεσθαι βασιλεῖς; Nep. Lys. 3, 5 *ut regia potestate dissoluta ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum*). Quod cum in iis, quae praecedunt, Plutarchus neglexerit, iterum Ephori iudicium eum non ita magni aestimavisse perspicitur. Nam quod Ages. 8 legimus: ὅπως τῶν δυεῖν οἴκων τὴν βασιλείαν ἀφελόμενος εἰς μέσον ἅπασιν ἀποδοίη Σπαρτιάταις, non Ephorum consulto sequi Plutarchus putandus est, sed, cum summatim postera indicaret, nullam omnino relationem diligenter de hac re perlegisse.

Ad Ephorum autem Plutarchus transit cap. 25; nam primum saltem enuntiatum ab eo repetitum esse inde perspicitur, quod simillima sunt, quae cap. 30 Ephoro ab ipso Plutarcho assignantur et quae Diod. 13, 8, Nepos 3, 5 scripserunt. Etiam id, quod sequitur, enuntiatum propter similitudinem Diod. 13, 3 et Nep. § 1 ad Ephorum refero. Sed in tertio demum enuntiato hic nominatur, ut alteri cuidam narrationi deinceps adhibitae opponatur ἀνδρὸς ἱστορικοῦ καὶ φιλοσόφου, quem τὴν ὅλην ἐπιβουλὴν καὶ σκευωρίαν τοῦ πλάσματος narraturus Plutarchus sequi constituit. Ephori igitur nomen tum demum attulit, cum ab eo, quia non omnia, quae opus essent, praeberet, mox sibi discedendum fore sensit. Ceterum eius narrationem in angustum Plutarchus contraxit, quo copiosior in hac re est Diodorus.

Quis ille ἀνὴρ ἱστορικὸς καὶ φιλόσοφος fuerit, vix indagari poterit; certe de Theopompo cogitandum non est, quem neque φιλόσοφον Plutarchus — secundum verbi notionem eius aetate usitatam — appellare potuit neque tam tecte, si attulisset, significavisset; eademque de causa non magni nominis illum fuisse existimo. Cum Ephori narratione autem hanc ita coniunctam esse opinor, ut, quae conatus sacerdotum corrumpendorum ab illo explicatos antecessissent, inde repeterentur ac fortasse de oraculo Delphico quoque nonnulla similia Ephoro ibi invenirentur.

Extremum autem huius capitis enuntiatum rursus ad Ephorum revocaverim (cf. Lys. 30).

Atque Theopompum, cum nihil de eo Plutarchus hoc loco mutuatus esse videatur nisi ut, quare ad consilium illud mutandae rei publicae Lysander adductus esset, demonstraret, de oraculis pecunia emendis non disseruisse haud scio, an opinari liceat.

Quomodo Agesilaus in Phrygiam profectus Ephesi hibernavisset (Ages. 9), Xenophon simillime narraverat (III, 4, 5 sqq); cuius opus omnino de rebus proximis egregie aptum erat Plutarcho, cum omissis iis rebus, quae alibi *De expeditione Phrygia.*

isdem temporibus gesta erant, in Agesilai bello solo ille versaretur, cuius descriptionem semel intermissam (III, 5) IV, 1 continuavit. Accedit, quod Xenophon, qua erat necessitudine cum illo coniunctus, nonnulla rettulit, quae parvi ponderis erant rerum scriptori, magni ad describendam vitae imaginem. Re vera autem Xenophonte Plutarchum usum esse e proximis capitibus apparet. Ac primum cap. 9 hic, quae apud illum, etsi eodem spectant, dirimuntur narrato Lysandri et Agesilai discidio (III, 4, 5 sq et 11 sqq), coniunxisse et brevius rettulisse videtur. Item enim atque a Xenophonte eodemque ordine narratur: primum Agesilaum animo hilari accepisse, quod Tissaphernes fidem fregisset; deinde in expeditione Phrygia multas urbes expugnatas, pecuniam magnam collatam esse commemoratur; tum concinunt verba τῶν ἱερῶν ἀλόβων φανέντων cum Hell. III, 4, 15: ἄλοβα γίγνεται ἱερά; atque, quomodo Agesilaus equitatum comparaverit, item narratur; denique, ut Persas in contemptionem abduceret, captivos nudatos produci iussisse dicitur.

Sed, quod foedere a Tissapherne fracto Agesilaus gavisus esset, repetitur a spe magni aliquid perficiendi, cum a Xenophonte eo explicetur, quod deos hominem periurum perdituros, se adiuturos esse ille speravisset; atque comparantur, quae Graeci Xenophonte duce praeclare gesserant, quae qui addidit, recordatus esse videtur Hell. III, 4, 2. Deinde Tissaphernis fallacia iniusta et iusta, qua Agesilaus usus esset, belli ars inter se opponuntur similiter atque encom. I, 17. In utroque autem, quod additum esse vidimus, sententiae verbaque contrarie relata sunt. Ac mihi quidem Plutarchus ipse Xenophontis narrationi ita considerationem suam addidisse videtur.

Oratione obliqua autem similis Agamemnonis ratio apposita est; Plutarcho igitur sententia nescio cuius in mentem venit, qui sophistarum more, ut opinor, Homerum interpretatus erat.

Denique, quod Xenophon de captivis nudatis tradiderat, ita amplificatum est, ut vestimento pretioso ipsorum vilitas opponatur; et cum Agesilai dictum inde nascatur, oblectamentum novum Xenophonti adicitur. Atque Polyaenum, qui idem narrat II, 1, 6 Plutarcho usum esse verisimile est; sed ad communem cum illo originem referenda est Agatharchidis relatio (apud Athenaeum XII, 550, e), qui eandem rei conformationem praebet ita tamen, ut Lysander ea de Agesilao narravisse dicatur et verborum mucro non tam acutus appareat, quam apud Plutarchum; vel inde elucet non ab ipso Agatharchide hunc sua mutuatum esse, sed Theopompum hic quoque Xenophontis narrationem ornamento novo distinxisse opinor.

Ceterum, quae ab ipso Xenophonte Plutarchum mutuatum esse statui, ex Agesilai laudatione sumpta non esse eo perspicitur, quod ibi ἱερὰ ἄλοβα non commemorantur. Atque differt a Plutarcho Diodorus 79, 1–3, ubi Cymes mentio insignis iterum Ephorum redolet. Diodorus deinde neglecto Agesilao, quae in mari gesta essent, maximeque, quae Conon profecisset, persequitur. Contra cum Xenophontis et Plutarchi relatione convenit Nepos Ages. 2 et 3 ita, ut vel singula cum Xenophonte congruant; sed trium mensium indutias illas initas esse non in Hellenicis, sed in Agesilai laudatione legimus (I, 10), cui insuper cap. 2 initium simile est, qua postea quoque Cornelium usum esse videbimus. Idemque trium mensium tempus indicatur a Polyaeno II, 1, 8. Quem quod Melber p. 536 Cornelio simillimum esse, a Xenophonte alieniorem censet, ego assentiri non possum; nec vero cum Melbero (p. 540) ad Ephorum Polyaeni II, 1, 8—15 refero, quoniam Diodorus tantopere differt.

Victoria ad Sardes parta (cap. 10 parte priore) tam similiter Xenophonti (Hell. III, 4, 20 sqq) describitur, ut singula collocare omittam. Accedit, quod, quae apud Plutarchum proxime antecedebant, in Hellenicis quoque *De victoria ad Sardes parta*

paucis tantum verbis ab hac Agesilai victoria seiuncta sunt. Quare Xenophonti ipsi, quae Plutarchus rettulit, attribuere non dubito, etsi hic Tissapherne ipso duce Persarum equites Graecos dispersos occidisse tradit, ille (§ 22) ἡγεμόνα quendam inducit, cuius nomen non affert, Tissaphernem autem, dum proelio decertaretur, Sardibus versatum esse § 25 affirmat. Qua de causa et Breitenbach (comment. Hell. III, 4, 25) in hac certe re Plutarchum Diodori auctorem secutum esse putavit, cum ille quoque (80, 5) post proelium commissum Tissaphernem Sardes venisse traderet et Petrou (p. 10) ex Ephoro hoc manavisse iudicavit. At cum in ceteris Diodorus tantopere differat, id solum Ephoro deberi non mihi persuadeo. Praeter Plutarchum et Diodorum Paus. III, 9, 6 Tissaphernem proelio interfuisse videtur arbitratus esse. Pausaniae autem relationem ea de causa ad Ephorum cum Natorpio (p. 576) referre dubito, praesertim cum de corruptis Atheniensium oratoribus Pausanias deinceps disserat. Nec vero cum Plutarcho cetera convenit, cum ἐν Ἕρμου πεδίῳ non equites modo Persarum, sed etiam peditatum victum esse tantum, quantus inde a Xerxis temporibus coactus non esset, referat. Denique Cornelio auctore Tissaphernes ipse ad Sardes versus suis praesidio profectus est; sed ut cetera eius narratio cum Xenophonte concinit, ita ne hoc quidem cum eo pugnat. Cum enim Hell. § 21 legeretur: τὸ πεζὸν . . . εἰς Καρίαν διεβίβασε καὶ τὸ ἱππικὸν εἰς τὸ Μαιάνδρου πεδίον κατέστησεν, postea autem equites ad Pactolum advenisse dicerentur, nihil obstabat, quominus ipsum illuc revertisse — re vera enim paulo post Sardibus fuit — scriberetur. Itaque Plutarchum, cum ista Xenophontis verba inspiceret, quae § 25 de Tissaphernis absentia dicta essent, neglegeret, adductum esse, ut ἡγεμόνα illum (§ 22) cum Tissapherne confunderet, facile intellegitur. Alterum igitur auctorem hic subesse atque eundem, quem Nepoti, mihi non probatur. Nam quae similia inter hos invenisse Natorpius sibi videtur

(p. 576), non agnosco nisi hoc: καιροῦ δὲ ὄντος αὖθις ἐμβαλεῖν κ. τ. λ. = *huic cum tempus esset visum copias contrahere*; ita autem incipere tam facile in mentem venire potuit cuivis, qui de triginta Spartiatarum successoribus dicturus non erat, ut nihil inde efficiam. Ceterum Nepos, non Plutarchus, iterum consulto Agesilaum hostes decepisse contendit; multoque magis in calliditatem subtiliter excogitantis omnia trahuntur a Polyaeno (II, 1, 9), sicut decebat strategematum scriptorem. Frontinus I, 8, 12 priorem illam et alteram Agesilai expeditionem confudisse videtur. Quare Tissaphernes in Cariam Agesilaum profectum esse putaverit, Plutarchus explicat verbis οὔσης δυσίππου πολὺ τῷ ἱππικῷ λειπόμενον. Eandem autem causam Xenophon, cum de priore Tissaphernis errore ageret (§ 12), attulerat; huius igitur loci recordatum Plutarchum ipsum hoc addere potuisse opinor.

Quomodo cum Tithrauste Agesilaus egerit et classi quoque praefectus sit (cap. 10 parte altera), iterum cum Xenophonte (III, 4, 25 sqq) vel in verbis nonnunquam convenit. Sed additur primum contemplatio brevis de singulari Agesilai auctoritate, quam Theopompus quoque praedicavisse dicitur: καὶ μέγιστος μὲν ἦν ὁμολογουμένως καὶ τῶν τότε ζώντων ἐπιφανέστατος, ὡς εἴρηκέ που καὶ Θεόπομπος. Videmus, quanti Plutarchus, cum eiusmodi iudicium proferat, Theopompi testimonium aestimet. Sed e memoria eum hoc repetivisse, non, cum scriberet, Theopompi opus aut certe non eius operis locum relatum ante oculos habuisse ipsa verba docent, id quod iam Stedefeldt (p. 42) animadvertit. Deinde demonstratur, cum maiores natu et prudentiores Pisandro adessent, Agesilaum male fecisse, quod in gratiam uxoris rei publicae salutem affinitatis observantiae postponeret. Sed pluribus exponitur tantum, quod Xenophon § 29 demonstravit, spectata, ut videtur, postera Pisandri clade; quod quin Plutarcho ipsi tribuamus, nihil obstat. Alia rerum scriptoris interesse, alia biographi eo

De Agesilai cum Tithrauste pacto.

illustratur, quod, quare ad unum Lacedaemonii et exercitus et classis imperium detulissent et quomodo navium numerum Agesilaus auxisset, Plutarchus omisit. Denique Hellenicis additur Tithraustem pecuniam Agesilao obtulisse, ut domum reverteretur, hunc autem, quam non largitione corrumpi posset, ostendisse. Haec, cum item coniuncta inveniantur encom. 4, 6, inde a Plutarcho sumpta et cum Hellenicis contexta esse existimo; ceterorum enim magna pars in Agesilai laudatione non exstant. Diod. 80, 6—8 neque opposita Plutarcho neque similitudine insignia praebet; nec magis e Pausaniae verbis paucis quicquam efficitur.

De Cotye in Ag. partes perducto. Agesilaum Cotyn sibi conciliavisse, Spithridatem amisisse (cap. 11) Xenophon quoque, ubi primum narratio in Graeciam digressa ad Agesilaum revertit, narrare incipit (IV, 1, 1 sqq) ac tantopere in omnibus rebus cum Plutarcho congruit, ut vel Natorpius Hellenica ipsa hic adhibita esse statuat. (In Agesilai laudatione Cotyis amicitia leviter tantum commemoratur 3, 4, matrimonium cum Spithridatis filia initum deest.) Non sane tam fuse quam Xenophon Plutarchus rem descripsit neque eodem ordine singula collocavit, sed libere eo usus est. Nam 1) per Spithridatem Cotyn in Agesilai amicitiam adductum esse non statim commemoratur, sed ultro eam appetivisse dicitur δι' ἀρετὴν καὶ πίστιν (cf encom. 3, 3); quae autem ratio ei cum Spithridate intercesserit, postea cognoscimus.

2) Verbosum Xenophontis colloquium Plutarchus admodum contraxit.

3) Megabatis nomen, quod Xenophon § 28 demum indicat, Plutarchus addit, ubi primum de eo agitur.

4) Mille equites, duo milia peltastarum Cotyn Agesilao tradidisse in Hellenicis ante nuptias propositas, apud Plutarchum postea legitur.

5) Pharnabazum huc illuc provinciae suae confugisse a Plutarcho Agesilai in Phrygiam reditioni statim adiungitur,

postea Spithridatis impetus repentinus commemoratur, a Xenophonte contra. 6) Quantum Agesilaus a Spithridate eiusque filio derelictus doluerit, a Plutarcho sicut a Xenophonte respicitur; ille tamen magis eius doloris causas inquirens persuasum habuit non minus quam subsidii non mediocris iactura eius animum eo sollicitatum esse, quod suspicionem animi angusti et illiberalis timuisset, quam a se patriaque sua avertere semper studuisset; accessisse autem Megabatis desiderium, de quo deinceps plura comperimus.

Huc usque igitur Plutarchus ita de hac re Hellenicis usus esse videtur, ut tota narratione perlecta singula e memoria ad ipsius arbitrium composita et paucis comprehensa redderet, animi tamen motus diligentius examinaret. Sed cum hac Hellenicorum relatione coniunxit Agesilai erga Megabatum amorem, qui a Xenophonte leviter tantum et tecte significatur §§ 6 et 28, simillime autem tractatur encom. 5, 4 sq, ut verba ipsa nonnumquam concinant: ἀπομάχεσθαι πρὸς τὴν ἐπιθυμίαν (Plut.) = διαμάχεσθαι τὸ μὴ φιληθῆναι (encom.) et paulo post διασιωπήσας. Etiam, quid amicus (encom.) vel amici (Plut.) petiverint, quid Agesilaus responderit, similiter dicta sunt. Sed amicorum admonitio apud Plutarchum oratione recta, illic obliqua expressa est et Agesilai responsum Dorice redditur. Quod cum Plutarchum ipsum in rem aliter traditam dialogum et linguae genus Doricum induxisse verisimile non sit, a nescio quo narratiuncularum scriptore, non ex ipsa laudatione haec repetita esse opinor.

De Agesilai et Pharnabazi conventu et de hospitio cum eius filio inito (capp. 12 et 13) Xenophon ipse quoque, simulatque Spithridatis discessum exposuit, continuo incipit narrare IV, 1, 29 sqq. Hoc loco autem Plutarchus propius ad Xenophontis ordinem rerum accessit; ac pusilla tantum, cum cogitatione alacri rem gestam sibi depingeret, addidit. Satrapi enim subiecta esse tradit κώδια μαλακὰ καὶ ποικίλας *De Ag. et Pharnab. conventu.*

δάπιδας (Xen. ῥαπτά) atque ipsum induisse ἐσθῆτα θαυμαστὴν λεπτότητι καὶ βαφαῖς (Xen. στολὴν πολλοῦ ἀξίαν); Agesilaum autem, cum ille locutus esset, Spartiatas ceteros vidisse ὑπ' αἰσχύνης κύπτοντας εἰς τὴν γῆν καὶ διαποροῦντας (Xen. ἐπῃσχύνθησαν καὶ ἐσιώπησαν). Deinde Pharnabazi filius μειδιῶν Agesilaum allocutus esse dicitur, hic autem gaudio commotus circumspexisse, num quis quid simile haberet, priusquam Adaei phaleras animadverteret. Agesilai et Pharnabazi colloquium brevius et acrius exprimitur. Denique Agesilaum ex illius provincia discessurum se esse promisisse Plutarchus omisit, haud scio an ideo, quod pulchrius ei visum sit colloquium illud concludere verbis magnificis: εἴτε, ὦ Φαρνάβαζε, τοιοῦτος ὢν φίλος ἡμῖν γένοιο μᾶλλον ἢ πολέμιος.

Et quoniam Xenophon § 40 amatorium quiddam attigit, Plutarchus nimirum id excepit etsi falso interpretatus. Atque inde profectus Agesilai mores rursus illustrat duabus amatorii generis narratiunculis; quarum prior unde sumpta sit, nescimus; alterius autem auctor Hieronymus philosophus nominatur; itaque hunc quoque Agesilai continentiam ostendisse cognoscimus.

De Ag. victu simplici.

Abhinc Plutarchus recedens ab Hellenicis de Agesilai victu simplici disserit (cap. 14) aptissimo loco. Agesilaum enim, quamquam iam aliquantum temporis in Asia versatus et ad potentiae gradum summum enixus esset, hominem simplicem et vere Spartanum etiamtum fuisse comperimus. Singula autem, quae afferuntur, praeterea invenimus in encom. capp. 5 et 9, in quibus est insignis cum Plutarcho concentus de Agesilao in templis morato (5, 7), de tenui eius strato (5, 2), de aestus et frigoris patientia (5, 3), de contraria ratione Persarum effeminatorum (9, 1 sqq); vividius tamen hoc a Plutarcho effictum est, cum Persas superbos eum veritos coluisse et dicto audientes fuisse legamus; praeterea ad inculti Lacedaemoniorum vestitus memoriam reducimur. Ac Plutarchum ipsum haec ex encomio repetita tam efficaciter rettulisse veri dissimile non esse existimo.

De fine, quem Agesilaus sibi proposuerit, et de reditu improviso Plutarchus narrat cap. 15. Et quamquam Xenophon quoque, ubi conventum illum Agesilai et Pharnabazi persecutus est, de consiliis maioribus et de Epicydidae nuntio disserere incipit (IV, 1, 41. 2, 1 sqq), tamen, quia non plura conveniunt, num illo ipso Plutarchus usus sit, dubito. Neque e Diod. 83, 1. 3 quicquam effici potest, cum in pauca res conferantur. Maior huius capitis pars composita esse mihi videtur e rebus, quas hinc illinc ortas Plutarchus memoria tenuerit et suopte ingenio conformaverit. Atque nonnumquam in encomio similia exstant, velut restituti ordinis et concordiae in Asiae urbibus commemoratio in singulis quoque concinit cum encom. 1, 37. Consilium belli in regni Persici interiora proferendi rhetorum modo exaggeratum, ut Agesilaus Graecorum omnium propugnator contra hostem velut natum esse videatur, ad encomium referre (ubi 1, 7. 8. 7, 4. 7 similia exstant) necesse non est; non enim ab auctore certo hunc multorum locum communem repetere opus erat; ceterum quod verba τοὺς πολέμους βραβεύων . . . . δημαγωγοὺς Agesilai cogitationi subiciuntur, non satis convenit cum tempore. *De Agesilao revocato.*

Cum Xenophon in Hell. IV, 1, 41 simpliciter maiora Agesilaum molitum esse dicat, Plutarchus partim sermone poëtico utitur velut τῆς τύχης ἄνω φερομένης, τὰ ὅπλα πρὸς τοὺς βαρβάρους βλέποντα, τὸν πόλεμον ἐξῳκισμένον τῆς Ἑλλάδος, et ascribuntur verba: ὦ βάρβαρ᾽ ἐξευρόντες Ἕλληνες κακά; quod mirum non est de homine tantopere in poëtarum quoque operibus versato[1]). Verbis: οὐ γάρ ἔγωγε συμφέρομαι τῷ Κορινθίῳ Δημαράτῳ propria Plutarchi rerum tractatio plane se aperit.

Agesilai continentia et obtemperantia (de quibus cf. compar. cap. 2 fin.) in encomio quoque 1, 36 praedicantur non

---

[1]) e contrario cf. Ages. 31, ubi poëticam verborum coniunctionem a Theopompo mutuatus eius nomen affert.

sane insigni similitudine et apud Cornelium, cuius verba *ut si privatus in comitio esset Spartae* denuo laudationem (1, 36) subesse docent. In Hellenicis simpliciter memoratur victa indignatione Agesilaum oboedivisse. Plutarchi amplificatio huius rei ipsine tribuenda sit, integrum relinquo; certo autem hoc de Alexandri et Hannibalis collocatione statuendum est. Atque enuntiato eodem cum hac contemplatione describitur, quantopere illius discessum socii luxerint. Xenophon, qui Hell. IV, 2, 3 sq (cf. encom. 1, 38) de hac re disserit, Epicydidam ephororum mandatum ad illum verbis detulisse refert; contra Plutarchus et hic et compar. cap. 2 fin. σκυτάλης mentionem facit. Quod quamquam alterius auctoris indicium esse non iudico, quoniam saepius Plutarchus ita Lacedaemoniorum nuntios designat (cf. Alcib. 38, Lys. 14. 19. 20. Ages. 10), tamen, si Xenophontem ipsum hoc loco inspexisset, mirarer, quod socios beneficiorum memores ultro Agesilao copias tradidisse, ipsum autem, ubicumque posset, rediturum se esse promisisse non commemoraret, cum tantopere eius proposito accommodatum esset. Erasistrati sententiam quin ipse attulerit et impugnaverit, non dubito.

Dictum illud de Persarum sagittariis extrinsecus, non cum proximis sententiis contextum, additur. Atque in eius explicatione Athenienses quoque pecunia corrupti esse dicuntur (cf. Paus. III, 9, 8), cum Xenophon eorum contionatores largitionem non accepisse plane pronuntiet III, 5, 2. Ceterum idem facete dictum Plutarchus vit. Artax. 20 memoriae prodit, postquam, quae Agesilaus in Asia profecisset, comprehendit. Atque auctorem Theopompum fuisse cum Natorpio opinor; nec tamen totum cap. 15 ad illum secundum ea, quae exposui, refero.

De Lysandro belli auctore.

Sed antequam Agesilai in Graeciam reditum persequamur, de L y s a n d r i v i t a e e x i t u agendum est. Qui quare ad bellum Thebanis inferendum Lacedaemonios compulerit, disseritur Lys. 27. Huius capitis initio Lysander

illius belli ad totam fere Graeciam pertinentis concitator fuisse dicitur (ἐμπεσὼν εἰς τὸν Βοιωτικὸν πόλεμον ἢ μᾶλλον ἐμβαλὼν τὴν Ἑλλάδα); haec igitur Plutarchi erat sententia, quae haud scio an rei traditionem Boeotiam secuta sit. Continuo autem iudicia varia collocantur et eorum, qui Lysandro culpam attribuerent, et, qui Thebanis, et, qui utrisque; hi autem, quorum arbitrium medium et integrum esse apparebat, quare ita existimarent, exposuit. Atque utrumque, quod Thebanis vitio vertitur, in Hellenicis quoque (III, 5, 1 sqq) invenitur; nec tamen ita haec duo collocata, sed cum aliis commixta sunt; nec vero inde Plutarchi verba fluxisse Amphithei nomine probatur, pro quo Xen. § 1 Galaxidorum affert. Sed, quem Paus. III, 9, 8 Amphithemin nominat, idem putandus esse videtur. Et quamquam inter eius et Androclidis nomina Ismeniam collocat a Xenophonte quoque nominatum, tamen, cum Plutarchus in universum tantum mentionem faciat τῶν περὶ Ἀνδροκλείδην καὶ Ἀμφίθεον, de fonte communi cogitari posse existimo. Ab Ephoro autem haec orta esse vel ideo negabimus, quod e Diod. 81, 1 id certe concludere licet Thebanos rixae illius Locrensium et Phociorum auctores Ephoro visos non esse; et de pecunia distributa Diodorus saltem nihil tradit, sed 82, 2 Graecorum seditionem inde repetit, quod Lacedaemoniorum imperium iniquum in odium acerrimum venisset.

Ut explicaretur, quibus de causis Lysander ad bellum inclinavisset, primum dicitur iratus fuisse, quod Thebani soli, ut praedae participes fierent, postulavissent quodque pecuniam ab eo Spartam delatam animo iniquo tulissent. Idem significare videtur Xenophon Hell. III, 5, 5; cum autem hic addat Thebanos Lacedaemoniis adversus Piraeum neque ipsos obsecutos esse et Corinthios retinuisse, Agesilaum denique Aulide adortos recusavisse, quominus in Asiam una proficiscerentur, Plutarchus iis rebus missis de adiutis Atheniensium popularibus loquitur. Atque in hac

re explananda simillimus est Diod. XIV, 6 et 21, etiam in verbis ἀγωγίμους εἶναι. Sane Diodoro auctore in Lacedaemoniorum edicto ei, qui profugorum comprehensioni obsisteret, quinque talentorum poena constituta erat, secundum Plutarchum, ut ἔκσπονδος esset. Tamen eundem fontem hic subesse existimo (cum Natorpio p. 580); ac discrepantiam istam aut inde ortam esse opinor, quod Ephorus eo loco, qui Plutarcho ante oculos esset, parum diligenter repetivisset, quod antea accuratius dixisset, aut Plutarchi ipsius errore. Ceterum idem narratur vit. Pelop. 6, ubi, quin Ephorum adhibitum esse statuamus, nihil obstat.

Et cum supra probare studuerim, quae Thebanis crimini darentur, Ephori non esse, Plutarchum opinor, quae de tertii illius generis iudicio medio rettulerit, ita composuisse, ut et Ephorea et Theopompea subessent. Neque enim de tertia ista sententia auctorem unum continuo adhibitum esse statuamus necesse est, quoniam plures Plutarchum inspexisse apparet.

De proelio ad Haliartum commisso.

De proelio ad Haliartum commisso et de Lysandri morte (Lys. 28 et 29) Xenophontis similitudinem insignem non invenimus, nisi quod Pausanias consideravisse dicitur necatorum corpora, cum prope murum iacerent, invitis hostibus ne proelio victis quidem auferri posse (Plut. Lys. 29, Hell. III, 5, 23). Eo autem differunt, quod Plutarchus item atque in cap. 27 Lysandrum cives suos ad bellum impulisse tradit, Xenophonte auctore Lacedaemonii ultro bellum decreverunt Lysandrumque in Phociorum fines proficisci iusserunt. Ac si quis hoc Plutarchum ipsum mutavisse existimet, ut quam plurima in eum, cuius vitam describeret, conferret, id quoque animadvertat secundum illum Lysandrum bello gerendo praefectum et post eius discessum demum Pausaniam cum exercitu missum esse, Xenophonte auctore hunc et ipsum statim expeditioni Boeotiae destinatum summam imperii tenuisse, ad sociorum copias autem comparandas suam utrique provinciam attri-

butam esse. Itaque haud scio, an Ephorum, cui finem capitis prioris assignavi, huius quoque initio Plutarchus secutus sit.

Quae sequuntur, a Diodoro differunt. Secundum eius verba enim Atheniensium auxilia illo die, quo proelio decertatum est, nondum adfuisse videntur et, cum Thebani advenerunt, Haliartus iam obsessa erat. Contra Plutarchus eos Lysandrum praevenisse et copiarum partem urbi imposuisse refert. Deinde Diodorus distinguit inter Boeotos ceteros, qui mox hostes insequi desiissent, et Thebanorum audaciam ducentorum, quem numerum Xenophon quoque exhibet. Plutarchus de Thebanis solis loquitur et trecentos occisos esse narrat. Lysandri impetus praecipitatus apud Plutarchum — etsi compar. cap. 4 vituperatur — hoc loco nullo illius vitio factus esse aut certe excusationem habere videtur. Lysandrum enim legimus per litteras Pausaniam illo die adesse iussisse; cum autem nuntius iste a Thebanis interceptus esset, illum, ubi aliquamdiu frustra regem exspectavisset, procedente iam die, quia otiosus sedere non posset, exercitum ad urbem admovisse. Diodorus de hac re tacet; in Xenophontis autem narratione temeritatis vituperatio inest.

Apud Plutarchum inter se cohaerent cap. 28 iste locus, quo Pausaniam Plataeis fuisse eoque Lysandrum litteras illas misisse legimus, et cap. 29 initium, ubi ille Plataeis ad Thespias versus profectus esse dicitur. Deinde, quod ineunte cap. 29 Thrasybulum Atheniensium copias Thebis adduxisse narratur, positum est in cap. 28 eo loco, quo Athenienses ante pugnam illam Thebanorum urbem tuendam suscepisse comperimus. Itaque ex uno fonte haec fluxisse concludo.

Quae in cap. 29 sequuntur a verbis: Βουλευομένου δὲ τοῦ Παυσανίου, cum Xenophonte de sententiis illis, quas supra commemoravi, conveniunt, eo tamen discrepant, quod Lacedaemoniorum maiores regem obtestatos esse

legimus, ut armis decertaret, Pausaniam tamen aliter censuisse et fecisse; contra Xenophonte auctore (§ 23) Παυσανίας καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐν τέλει Λακεδαιμονίων communiter proelio desistere decreverunt. Apud Plutarchum igitur Pausanias solus pactionis et recessus auctor fuisse videtur, principes autem Spartiatarum ceteri magis Lacedaemonis dignitati consuluisse et, cum ἡττωμένοις καλὸν ἐνταῦθα κεῖσθαι μετὰ τοῦ στρατηγοῦ sentirent, patefecisse virtutem Spartanam. Quare Theopompum hic subesse ac per eundem, quae cum Xenophonte communia esse supra vidimus, Plutarchum accepisse opinor; quare enim a Xenophonte ipso, quem tam diu non adhibuerat, haec pauca sumpserit, non intellegitur. In quo sententiam illam Pausaniae considerantis difficile opus esse Thebanos, qui modo vicissent, proelio superare haud scio, an Plutarchus ipse ita conformaverit. Theopompum praeterea earum rerum capp. 28 et 29, quae inter se cohaerere supra demonstravi, auctorem statuere licet ita, ut eius relatio Ephoream illam, in qua cap. 28 quoque initium posui, excipiat.

Sed pugnae descriptio (in cap. 28 parte altera) cum Theopompo non convenit, sed originem Boeotiam redolet. Primum enim penes Thebanos haud dubie victoriam fuisse legimus et hostes mille cecidisse, cum Xenophonte auctore aequo Marte discessum sit et Thebani nonnumquam animo demisso fuerint νομίζοντες οὐκ ἐλάττω κακὰ πεπονθέναι ἢ πεποιηκέναι (§ 21). Deinde regionis natura et fabulae locis singulis adhaerentes aliaque eiusmodi diligenter notantur. Ac rursus ad traditionem vernaculam reducimur cap. 29 inde a verbis: Τὸν δὲ Λύσανδρον, ubi homo Chaeroneensis regionis ipse peritus apparet verbis οὗ νῦν τὸ μνημεῖόν ἐστι παρὰ τὴν ὁδὸν εἰς Χαιρώνειαν ἐκ Δελφῶν πορευομένοις. Ac circumspexit Plutarchus, quae loca illa fuissent, quorum nomina interea partim mutata erant, variamque traditionem adhibuit.

Nihil proficimus e Pausaniae narratione (III, 5), quae magis Xenophonti quam Plutarcho similis est ac propria quaedam exhibet.

Lys. 30. Pausaniae damnationem, de qua praeter Xenophontis relationem in Minervae templo illum vitam degisse comperimus, iam ad Theopompum revocare possumus, qui paulo post nominatur. Quod autem damnatio ista cum Lacedaemoniorum dolore amissi Lysandri conectitur, biographi ipsius esse existimo.

Lysandro mortuo eius paupertatem palam factam esse confirmatur Theopompi testimonio, de quo ita Plutarchus iudicat: ᾧ μᾶλλον ἐπαινοῦντι πιστεύσειεν ἄν τις ἢ ψέγοντι, ψέγει γὰρ ἥδιον ἢ ἐπαινεῖ. Plutarchum autem raro eo usum esse inde efficiendum non est.

Scriptum de commutanda re publica compositum postea inventum esse Ephorus tradiderat.

Quae inde a verbis: Οὐ μὴν ἀλλά adduntur, quia cum Lysandri paupertate conexa sunt, ad Theopompum rursus revocanda esse videntur.

Diodorus cap. 81, 4 ad Cononem revertitur, qui quae gessisset, usque persecutus erat (proxime 79, 4 sqq). Cap. 82 omnium in Lacedaemonios odium item exprimitur ac XIII, 66, 6; et foedus magnum nascens rerumque in Graeciae partibus variis a sociis gestarum vel boni vel mali eventus magno studio considerantur, in quibus maxime Ismeniae Thebani expeditiones. 82 fin. et 83, 1 numeri cum Hell. IV, 2, 16 sq discrepant ita, ut multo pauciores hostes Lacedaemoniorum, socii multo plures conficiantur; in favorem Atheniensium igitur et Thebanorum, qui proelio illo superati sunt, Xenophontis relatio mutatur; itaque quod hic (§ 18) Boeotos ineunte proelio in ignaviae suspicionem venisse commemorat, Diodorus saltem omittit. Et cum foederati designentur verbis Βοιωτῶν δὲ καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων, rursus auctoris erga Boeotos studium cernitur. Caesorum numeri, quos Xenophon non exhibet, certi afferuntur. Agesilai per Thraciam, Macedoniam, Thessaliam iter paucis comprehenditur (83, 3 sq), de quibus congruit cum Xenophonte, quod eadem via ille, qua olim Persarum rex, profectus esse dicitur.

Pugnam ad Cnidum factam Diodorus aliter describit (83, 4 sqq) ac Xenophon (IV, 3, 11 sqq) et numeros certos rursus indicat non minus quam de proelio Coronensi cap. 84. Pisandri mortem maioribus laudibus tollit quam Xenophon nec tamen, ut hic, ad Coroneam claram Lacedaemoniorum victoriam refert. Deinde, quae Conon postea profecerit, exponit, de quibus Xenophon IV, 8, 1 sqq demum loquitur. Ac primo amborum narrationes differunt; sed ubi Cononem ad Cythera insulam appulisse dictum est, mirum in modum convenire incipiunt. Iterum Diodorus Atheniensium muros longos σκέλη, Xenophon τείχη appellat.

De Agesilai per Thraciam etc. itinere.

Agesilai per Thraciam, Macedoniam, Thessaliam iter secundum Xenophontem a Plutarcho (Ages. 16) descriptum non esse elucet, cum, quae ille narrat, magnam partem omissa, alia tradita sint, quae ille non exhibet. Nec vero, quod Polyaenus II, 1, 17 de Macedonum rege narrat, cum Plutarcho convenit. Trallesne Theopompus (frgm. 25) in hoc rerum conexu commemoraverit, non perspicitur. Sed notandum est Agesilai cum Trallibus et cum Macedonum rege congressus ad facete dicta dirigi. Item, cum de redemptis eis, quos Larissam Agesilaus miserat, agitur, dictum eius idque serium affertur. Huic propter sententiarum concentum, non secundum temporum rationem, adiunguntur ea verba, quibus Agesilaus, quod tam multi ad Corinthum occisi essent, questus esse dicitur prorsus contra Xenophontis narrationem Hell. IV, 3, 2. Sed idem invenitur encom. 7, 5 extra temporum ordinem. Inde igitur Plutarchum id repetivisse opinor; certe autem inde natam esse iudico Cornelii narrationem Ages. 5, quae post pugnam ad Coroneam factam bello Corinthio ita inserta est, ut Agesilaus ipse proelium illud commisisse dicatur. Haec falsa rei collocatio facile eo explicatur, quod in encomio extra temporum ordinem narrata est. Insuper eo confirmatur ista, quam statui, origo, quod encom. 7, 6 de Corinthi oppugnatione dictum idem adiungitur

atque apud Cornelium. Sed in prioribus quoque Nepos laudatione usus erat et 4, 4 eam secutus (2, 1) scripsit Agesilaum eandem viam, per quam totius anni iter Xerxes fecisset, uno mense transisse. Plutarchus autem unde ea, quae praecedunt, sumpserit, nescio.

Haud dubie auctorem historicum habemus, ubi de pugna cum equitibus Thessalis inita agitur; itemque atque a Xenophonte Hell. IV, 3, 3 sqq tropaeum constitutum esse commemoratur et maximo gaudio Agesilao fuisse, quod Thessalos equitatu superbientes vicisset per equites ab ipso comparatos. Id igitur ad Xenophontem referre licet; et quod illum ipsum impetui interfuisse legimus, biographo possumus tribuere. Sed quingentorum equitum numerus apud Xenophontem non exstat; neque librarii errore eum omissum esse inde apparet, quod in laudatione quoque deest. Itaque hoc aliunde additum esse statuo; cui tamen debeatur, integrum relinquo. Nam Diodorus brevior est, quam ut quicquam nobis demonstret; nec plura Pausanias (III, 9, 12) docet, qui ipse quoque equitum pugnam commemorat.

De Diphridae adventu (cap. 17 parte priore) apud Xenophontem Plutarchus nihil invenire poterat et, quod de subsidiis e Peloponneso missis refert, non convenit cum Hell. IV, 3, 15; nihil autem cognoscitur e Diodori verbis paucis 84, 1. Rursus Agesilai oboedientia laudatur et magistratus domestici eum honoravisse dicuntur; quare haud scio an a Theopompo Plutarchus haec mutuatus sit.

De nuntiata clade Cnidia.

De nuntiata clade Cnidia (in cap. 17 parte altera) mira exstat similitudo cum Hell. IV, 3, 10 sqq, quam Buechsenschuetz p. 253 et Petrou p. 57 iam demonstraverunt; cum iis igitur ad Hellenica ipsa haec revoco. Verbum ἐστεφανωμένος haud scio an Plutarchus ipse rem depingens addiderit. Polyaenus autem, quod idem una cum ceteris Plutarchi verbis exhibet (II, 1, 3), eius vita usus esse videtur, praesertim cum strategematum ordo

cum temporum ratione isto loco pugnans de auctore historico continuo adhibito cogitare vetet. Sed quaedam aliunde Plutarchum repetivisse existimo. Nam etsi pro montibus Achaicis Thermopylas ipse nominare potuit, tamen ad Chaeroneam Agesilaum consedisse, cum de clade Cnidia certior fieret, alicubi invenisse putandus est.

De proelio ad Coroneam facto.

De proelio ad Coroneam facto (capp. 18, 19 parte priore) Xenophontem ipsum adhibitum esse probatur Plutarchi verbis: Λέγει δὲ τὴν μάχην ὁ Ξενοφῶν ἐκείνην οἵαν οὐκ ἄλλην τῶν πώποτε γενέσθαι, in quo Xenophontis verba (IV, 3, 16): ἐγένετο οἵα οὐκ' ἄλλη τῶν γ' ἐφ' ἡμῶν, cum ita relata frigida fuissent, a Plutarcho dilatata esse apparet. Theopompo enim, quem id Plutarcho tradidisse Natorpius arbitratus est, parum accommodatum esse opinor, cum Xenophontis historiam vincere et in eius locum succedere voluerit. Nec vero eorum, quae proxima exstant, quicquam aliunde Plutarchum repetivisse iudico. Nam etsi Xenophontem huic proelio interfuisse non proprie in Hellenicis dicitur, tamen Plutarchus in Herippidae mercennariis illum fuisse ipse quoque scivisse putandus est.

Xenophontis nominatio cum copiarum collocatione coniungitur, quam ita tantum, ut in Hellenicis respicitur, Plutarchus descripsit, cum cornus utriusque, non mediae aciei condicionem indicavit. Deinde de primo hostium concursu brevius agit quam ille, sed iterum eius narrationem diligenter secutus, id quod maxime conspicitur, ubi Agesilaum legimus cautius acturum fuisse, si Thebanis transitum dedisset, sed magna animi audacia impulsum obsistere maluisse (Plut. ἐναντίος ἐχώρει et κατὰ στόμα cf. cum Xen. ἀντιμέτωπος, Plut. ἐρρωμένως ἐδέξαντο cum Xen. ἐχώρουν ἐρρωμένως). Itaque Plutarchum haec quoque a Xenophonte mutuatum esse opinor. Cum autem hic pugnae ardorem concitate depingat, Plutarchus in universum dicit: καὶ μάχη γίγνεται δι' ὅλου μὲν ἰσχυρὰ τοῦ στρατεύματος.

Eodem autem enuntiato adiungitur eodemque verbo

ἰσχυρός conexa descriptio pugnae circum Agesilaum accensae. Nam cum ipse hoc proelio vulneratus esset, Plutarcho non sufficiebant Xenophontis verba pauca et simplicia, sed plura de rege comperire et elatius dicere opus erat. Itaque quinquaginta illi Spartiatae electi, de quibus Theopompum locutum esse supra (p. 107) opinatus sum, rursus inducuntur et summa fortitudine usi, cum regem integrum servare non possent, vulneratum corporibus suis texisse dicuntur. Similiter Xenophontis verba: τέλος δὲ τῶν Θηβαίων οἱ μὲν διαπίπτουσι πρὸς τὸν Ἑλικῶνα, πολλοὶ δὲ ἀποχωροῦντες ἀπέθανον amplificata sunt. Et cum ille simpliciter dicat: τετρωμένος δ᾽ αὐτὸς προσενήνεκτο πρὸς τὴν φάλαγγα, apud Plutarchum multis vulneribus graviter Agesilaum oneratum esse legimus et, quod ad aciem prius, quam in tentorium deferri se voluisset et occisorum corpora tollenda primo curavisset, laudi ei vertitur. Non cum hac re encom. 2, 15 convenit (συνελκύσαντες τοὺς τῶν πολεμίων νεκρούς), cum Plutarchus de Lacedaemoniorum mortuis imprimis cogitet. Nec vero Polyaenus (II, 1, 16), quod item atque Frontinus (II, 6, 6) Agesilaum imperavisse narrat, ut Thebanis transitus daretur, respiciendus est, quoniam neque haec neque, quae II, 1, 5 et 25 legimus, e fonte historico manavisse Melber p. 543 iam docuit. Num Ephorus de his rebus locutus sit, Diodori narratione brevi (84, 1. 2) non perspicitur. Sed sicut supra quinquaginta Spartiatarum mentionem Theopompo tribui, ita hic quoque eum opinor, quae praeclare fecissent, narravisse ac simul Agesilaum laude extulisse.

Hostibus, qui in Minervae templum confugissent, eum pepercisse breviter tantum Plutarchus commemoravit. Τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς id fanum fuisse Xenophon non indicavit, cum notum esse omnibus locum istum, in quem Boeoti omnes convenirent (cf. Paus. IX, 34, 1), statueret. Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς nomen praeter Plutarchum a Pausania III, 9, 45 additur, a Cornelio (Ages, 4, 6) saltem Minervae. Quod quamquam e fonte communi repeti posse concedo —

ceterum hic non minus quam antea Cornelium Agesilai laudatione usum esse opinor (cf. encom. 2, 13), e qua finis quoque huius capitis manavit (cf. encom. 11, 1) — tamen Plutarchi verba consideranti mihi, cum εἰς τὸ ἱερὸν primo scribat (similiter Xen. ὑπὸ τῷ νεῷ), deinde enuntiato novo addat: Πλησίον γάρ ὁ νεώς ἐστιν ὁ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς et tropaei, quod a Boeotis quondam constitutum illic exstaret, mentionem faciat, verisimile videtur eum de suo haec addidisse et de templo illo Xenophontem ante oculos habuisse; ei enim proxima quoque simillima sunt atque id solum aliunde additur Pythia tum Delphis celebrata et ab Agesilao pompam factam esse.

De Agesilao domum reverso.

Quomodo Agesilaus reversus Lacedaemone vixerit, narratur cap. 19 parte altera et cap. 20. Atque in encomio quoque eodem rerum gestarum loco paucis commemoratur (2, 16) Agesilaum domi legibus parere maluisse, quam in Asia omnibus auctoritate praestare. Plutarchusne hoc loco excitatus sit ad expositionem istam, nescio, cum encomio eum paulo ante usum esse demonstrari non possit; in mentem tamen venire ipsi quoque poterat Agesilai in leges oboedientiam et vitam simplicem, de quibus in encomio plura legerat et ipse nonnumquam locutus erat, post illius reditum, cum maxime virtus ista conspicua esset, iterum ostendere, praesertim cum ad rerum intermissionem quandam narratio advenisset, ubi quaevis poterant inseri, quae certae rei affixa aut certo tempori assignata non erant; itaque cum ratione et consilio eum haec disposuisse dicemus. Atque in hac sententia persequenda ad Agesilai domum simplicem defertur haud dubie laudationem secutus (8, 7), cuius verba repetit. (Idem Cornelius, etsi non recte interpretatus, in descriptionis suae cap. 7 transtulit.) Itaque continuo, quod in encomio sequitur, Plutarchus addidit et huius rei testem Xenophontem nominavit, cuius verbum κάνναθρον interpretandum ratus aliunde brevia quaedam adiunxit. Nam laudatione ipsa eum usum,

non, ut Sachse arbitratur, Xenophontis testimonium a Dicaearcho mutuatum esse et duarum rerum in encomio coniunctarum relatione et Plutarchi verbis elucet. Agesilai uxoris autem et filiarum nomina Plutarchus se ipsum repperisse profitetur ἐν ταῖς Λακωνικαῖς ἀναγραφαῖς; et, quae Lacedaemone tradebantur, eum loco ipso cognovisse iterum probatur iis, quae sequuntur, verbis: ἔστι δὲ καὶ λόγχην ἰδεῖν αὐτοῦ κειμένην ἄχρι νῦν ἐν Λακεδαίμονι. Cyniscam sororem ab Agesilao commotam esse, ut Olympiae cursu equestri certaret, secundum encom. 9, 6 relatum est. (Ex alio fonte Pausanias hausit III, 8, 1, ubi idem commemorat.) Xenophontem autem eius monitu filios Lacedaemonem arcessivisse educandos Plutarchum ex iis, quae de scriptorum illustrium vitis sciebat, addidisse opinor.

Transit deinde ad cognitum Lysandri consilium, de quo Ephorum disseruisse Lys. 30 vidimus. Nonnulla item atque illic dicta sunt: ὥρμησεν αὐτὸν ἐξελέγχειν, οἷος ἦν ζῶν πολίτης . . . . ἠθέλησεν εἰς μέσον ἐξενεγκεῖν (Ages. 20) = ὁρμῆσαι μὲν εἰς τοὺς πολίτας τὸν λόγον ἐξενεγκεῖν καὶ παραδεικνύναι τὸν Λύσανδρον, οἷος ὢν πολίτης διαλάθοι (Lys. 30). συνεβούλευσε μὴ τὸν Λύσανδρον ἀνορύττειν, ἀλλὰ καὶ τὸν λόγον μᾶλλον αὐτῷ συγκατορύττειν (Ages. 20) = εἰπεῖν, ὡς δεῖ μὴ ἀνορύττειν τὸν Λύσανδρον, ἀλλὰ καὶ τὸν λόγον συγκατορύττειν (Lys. 30). Diligenter tamen neque narrationem Ephoream neque vitam istam Lysandri hoc loco Plutarchum inspexisse apparet; nam primum τῶν γερόντων τινὰ illud suasisse refert, cum Lys. 30 Lacratidam τότε προεστῶτα τῶν ἐφόρων nominet; deinde Lysandrum id, quod Ephorus anno 404 vel 403 assignaverat, ex Asia reversum adversus Agesilaum machinatum esse hoc loco narrat fortasse Theopompum sive consulto sive inscius secutus. Quia autem pro ephoro nominatim indicato senator non nominatus ponitur, Plutarchum, si modo Ephori relationem vel vitam alteram inspexerit, obiter tantum inspexisse concludemus aut e memoria haec narravisse atque in eadem re tractanda

facile ad illam verborum similitudinem adductum esse dicemus.

Quanta prudentia Agesilaus hominum animos vel infestorum sibi conciliaverit, haud scio an eidem assignandum sit, cui similes illae sententiae capp. 4 et 5. Atque ab eodem iam adiunctum esse videtur, quae ratio illi cum Agesipoli intercessisset. De horum amicitia Xenophon quoque aliquanto post disserit (V, 3, 20) atque explicandi causa addit: συσκηνοῦσι μὲν γὰρ δὴ βασιλεῖς ἐν τῷ αὐτῷ, ὅταν οἴκοι ὦσιν sicut Plutarchus: Συσσιτοῦσι γὰρ οἱ βασιλεῖς εἰς τὸ αὐτὸ φοιτῶντες φιδίτιον, ὅταν ἐπιδημῶσιν. Nec tamen hic ex Hellenicis ipsis sua repetivit, sed Xenophontis verba: Ὁ δὲ Ἀγησίπολις τῷ Ἀγησιλάῳ ἱκανὸς μὲν ἦν καὶ ἡβητικῶν καὶ θηρευτικῶν καὶ ἱππικῶν καὶ παιδικῶν λόγων μετέχειν apud auctorem amatoriae fabulae studiosum in hanc partem amplificata et efficta invenit et quaedam de Agesipolis natura addita. Quem Diodorus quoque (XV, 19, 4) εἰρηνικὸν καὶ δίκαιον fuisse dicit (Plut. φύσει δὲ πρᾷος καὶ κόσμιος), sed cum moribus multum differret ab Agesilao, in re publica quoque rationis contrariae propugnatorem fuisse affirmat, cum Plutarchus doceat: οὐ πολλὰ τῶν πολιτικῶν ἔπραττεν . . . . καὶ τοῦτον (Ἀγησίλαος) ἐποιεῖτο χειροήθη. Itaque ex Ephoro Plutarchum sua mutuatum non esse apparet. Ceterum quod cap. 20 fin. de amorum Laconicorum natura addit, ipsius esse probatur verbis: ὡς ἐν τοῖς περὶ Λυκούργου γέγραπται.

Diodorus cap. 86 de rebus prope Corinthum gestis narrare incipit similiter Xenophonti IV, 4, 1 sqq. Atque huius iudicium irae plenum de popularibus Corinthiis apud Diodorum quoque servatum est ita, ut improbentur vel Athenienses et Boeotii, qui παρεβοήθουν τοῖς σφαγεῦσιν, ὅπως τὴν πόλιν ἐξιδιοποιήσωνται (86, 2), et λαμπρῶς ἀγωνισάμενοι Lacedaemonii hostes reppulisse dicantur (86, 4). Iterum Diodorus, non Xenophon, numeros certos exhibet. De ludorum Isthmiorum principatu in contentionem vocato Diodori verba pauca non discrepant cum Hell. IV, 5, 1 sq.

Ad res Corinthias narratio in Siciliam digressa revertitur 92, 1 sq, ubi gesta variis temporibus assignanda comprehenduntur. De Iphicratis conatu cf. Hell. IV, 8, 34, ubi tamen maiora eius consilia non commemorantur. Quae de Thrasybuli expeditione legimus 94, 2—fin., 99, 4. 5, mirum in modum conveniunt cum Hell. IV, 8, 25 sqq, sed alia Xenophonti addita sunt. De Rhodiorum certaminibus (Hell. IV, 8, 20 sqq, Diod. 79, 1 sqq) non pauca differunt. Belli Cyprii initium (cap. 98), quod Xenophon omisit, Diodorum secundum Ephorum descripsisse rursus demonstratur Eph. frgm. 134. De Struthae et Thibronis contentionibus (99, 1—3) res novas praeter Hell. IV, 8, 17 sqq et numeros iterum additos legimus. In tractanda pace Antalcidea 110, 2—4 multo melius de Atheniensibus et Thebanis iudicatur, quam Hell. IV, 8, 15 et V, 1, 32 sqq.

De Ag. expeditione Corinthiaca.

Quae Plutarchus narrat de Agesilai expeditione Corinthiaca (cap. 21 parte priore), quantopere cum Xenophonte (IV, 4, 19 sqq) conveniant, his rebus communibus illustratur: Una cum Agesilao Teleutias frater eius mittitur. Argivi autem, qui ludos Isthmios administrandos sibi vindicaverant, cum vixdum sacra fecissent, eius adventu perterriti omnia deserunt. Tum Agamemno caerimoniam Corinthiorum exsulibus committit, ipse praesidio adesse satis habet. Ubi vero discessit, Argivi denuo ludos instituunt; in quo ostenditur alios bis vicisse, alios primo superiores, deinde superatos fuisse, id quod secundum Xenophontis verba (IV, 5, 2) etsi paulum mutata conformatum esse apparet.

Plutarchus, quod Teleutiam a Xenophonte Hell. IV, 4, 19 ἀδελφὸν tantum appellatum Agesilai ὁμομήτριον fuisse refert, isto ipso loco (§ 19), cum utriusque mater praedicaretur, comperire poterat. Agesilaum autem magna sua auctoritate effecisse, ut frater classi praeficeretur, ipse videtur addidisse. Haec enim explicatio in promptu erat ei, qui rem ipsam apud Xenophontem legebat, ac maxime biographo conve-

niebat de Agesilao statim cogitare et, quantum apud cives suos auctoritate valuisset, concludere. Nec magis ad auctorem alterum referre videtur necesse esse, quod Agesilaum legimus primo, ut ipse ludis praeesset, rogatum abnuisse, quo paulum amplificantur Xenophontis verba: αὐτός τε τῷ θεῷ ἔθυε καὶ περιέμενεν ἕως κ. τ. λ. Denique Argivorum ignavia, qui, quamquam tanti fecissent ludorum principatum, tamen de eo contendere ausi non essent, ostenditur. Ceterum duae Agesilai expeditiones in unam coactae sunt, quia biographi eas distinguere non intererat, cum Paus. (III, 10, 1) priori illius expeditioni hos ludos assignaret et paulo post eum domum revertisse referret. Nihil, ut iam dixi, in hac cap. 20 parte video, quo alterum auctorem statuere cogamur.

Sed his rebus adductus Plutarchus in huius capitis parte altera addit, quomodo domi in ludis publicis Agesilaus se gesserit et quam parvi fecerit artes liberales. Quod cum dictis nonnullis illustretur, a fonte historico hic Plutarchum discessisse videmus. Ac Petrou p. 43 apud Athenaeum (VII, 289, b sqq) similia legi, in Menecratis autem epistula Agesilai loco Philippi Macedonis et Archidami nomina inveniri commemoravit. Haec igitur iam Plutarcho in fabellarum corpore coniuncta praesto fuisse verisimillimum est.

De Lacedaemoniorum mora perdita.

De Lacedaemoniorum mora perdita (cap. 22) comprehenduntur, quae Xenophon Hell. IV, 5, 3 sqq fusius rebus a Plutarcho cap. 21 exscriptis continuo adiunxerat; atque cum singula quoque insignia apud utrumque legantur, Petrou p. 29 et Buechsenschuetz p. 259 iure, ut opinor, a Xenophonte ipso Plutarchum haec repetivisse iudicant. Nam et Xenophontis descriptio illa expressa et paene sub oculos subiecta repetitur, qua Agesilaus sedens in captivos spectavisse dicitur, cum Thebanorum legati frustra eum adire conarentur cumque morae interitus nuntiaretur, et de hac ipsa legatorum aspernatione Plutarchus scribit:

προσεποιεῖτο μήτε ὁρᾶν αὐτούς = (Xen.) οὐδ' ὁρᾶν ἐδόκει; et cum nuntius ille tristis allatus esset: Ἀνεπήδησε μὲν οὖν εὐθὺς ὁ Ἀγησίλαος = (Xen.) εὐθύς τε ἐκ τῆς ἕδρας ἀνεπήδησε. Ubi autem Thebanorum legati postea advocati sunt, τῆς εἰρήνης οὐκέτι ἐμέμνηντο; quare Agesilaus iratus ipsum se eis ostensurum esse pronuntiat, quanti hostium fortuna aestimanda esset; itaque postridie ad Corinthum profectus loca vicina vastat τοὺς Κορινθίους ἐξελέγξας ἀμύνεσθαι μὴ τολμῶντας = (Xen.) ἐπεδείκνυ, ὡς οὐδεὶς ἀντεξῄει. Et cum legatos dimisisset, Lacedaemonem redisse dicitur noctu devertens, ante lucem proficiscens propter Arcadum malevolentiam.

Addidit autem Plutarchus more suo, quid Agesilaum commovisset, ut legatos neglegeret: μισῶν μὲν ἀεὶ τὴν πόλιν, οἰόμενος δὲ τότε καὶ συμφέρειν ἐνυβρίσαι. Contra cum equitis cladem nuntiantis adventum Xenophon tam diligenter depingat, Plutarchus colores diluit verbis generalibus: ἧκόν τινες ἀπαγγέλλοντες — saepius plurali numero in eiusmodi rebus generaliter utitur; cf. Ages. 11 οἱ συνήθεις cum encom. 5, 5, Ages. 25 ἔν τινι κοινολογίᾳ πρὸς αὐτοὺς cum Hell. V, 4, 32, Ages. 29 οἱ τὴν συμφορὰν ἀπαγγέλλοντες cum Hell. VI, 4, 16 —; ut enim animorum motus indagare studebat, ita, quomodo res gestae essent, non multum eius intererat. Xenophontis autem narrationem ei ante oculos fuisse eo quoque illustratur, quod et ipse articulo definito usus τὴν μόραν ὑπὸ Ἰφικράτους κατακεκόφθαι narrat (cf. Hell. IV, 5, 7: τὸ τῆς ἐν Λεχαίῳ μόρας πάθος), quamquam de manu illa nondum locutus erat. Xenophon, quid evenisset, hoc loco significat tantum, postea (§ 11 sqq) explanat; Plutarchus statim explicationem quamvis brevem addidit et, quanti momenti illud esset, demonstravit non respectis, quae singula postero illo loco Xenophon exposuerat. Ubi de mutata Thebanorum modestia agitur, verbum rem declarans ἀνθυβρίζοντας additur. Denique Agesilai responsum ad formam concisam redigitur; perspicuitate autem hanc narrationem tantopere coartatam hic illic carere Buechsenschuetz p. 259 demonstravit.

De expeditione in Acarnaniam suscepta.

Expeditio in Acarnaniam suscepta (cap. 22 fin.) non minus secundum Xenophontem descripta esse videtur, cuius narrationem copiosam (IV, 6. 7, 1), quae excipit res modo tractatas, Plutarchus iterum contraxerit; maximeque conspicitur similitudo verborum Δεομένων δὲ — ἔχωσιν cum Hell. IV, 6, 13. Quae quomodo posteri amplificaverint, docet Polyaenus II, 1, 1 et 10. Pausanias autem (III, 10) Aetolos Achaeorum loco exhibet et maiora Acarnanes perfecisse tradit.

Ineuntis cap. 23 auctorem requirere non licet, quoniam Plutarchum ex memoria quaedam repetivisse apparet, ut introduceret pacem Antalcideam.

Sed cum inde Callisthenis historia respicienda sit, finem hic, ut initio dixi, opusculo meo constituo. Quo probare studui Xenophontis historiam Plutarchum nec prorsus neglexisse nec strictim tantum attigisse, sed magnam partem secutum esse de Agesilai vita praecipue et Alcibiadis. Sane, cum Theopompum praeterea Ephorumque et ipsos Xenophonte usos a Plutarcho adhibitos esse sciamus, non certo ubique affirmare licet, per eosne an ab ipso sua hic acceperit. Quare ubi Xenophontis narratio ita relata est, ut hominis suopte ingenio res conformantis actio appareat, discernere conatus sum, quid rerum, quid vitae scriptori probabiliter assignaretur. Quae autem de Plutarchi et de aliorum ratione scribendi effecisse mihi videor, cum vitarum partem definitam tractaverim, comprehendere omitto, ne, quae singula statui possunt, universe dicantur, priusquam ceterarum disceptatio sive confirmans et complens sive corrigens accedat.

VITA.

Natus sum Reinhardus Dippel Gruenbergae, in oppido Hassiae, anno h. s. LXIX a. d. XIV Kal. Mai. patre Carolo, matre Christiana e gente Moell, quos adhuc superstites esse gaudeo; fidem profiteor evangelicam. Litterarum elementis in civitatis patriae ludo imbutus inde ab auctumno anni h. s. LXXX in gymnasio Gissensi Schilleri v. d. auspiciis et doctrina eruditus sum. Maturitatis testimonio vere anni LXXXVIII instructus studiis philologis historicisque primo in litterarum universitate Gissensi per ter sex menses me dedi, postea, cum spatium semestre propter malam valetudinem domi commoratus essem, senos menses Monaci et Berolini; unde Gissam reversus studia peregi et aestate anni XCIII docendi facultatem examine adeptus sum. Ac docuerunt me his annis Gissae vv. dd. Philippi, Schmidt, Reitzenstein, Dettweiler, de Bradke, Oncken, baro de Ropp, Hoehlbaum, Behaghel, Siebeck, Schiller; Monaci vv. dd. Woelfflin, Schoell, Christ, Stumpf; Berolini vv. dd. Curtius, Kirchhoff, Vahlen, Dilthey, Simmel, Sternfeld. In seminario deinde Gissensi Schilleri v. d. doctrina instructus ad artem educandi, inde ab auctumno anni XCIV pueris instituendis in gymnasio Moguntino Weihrichii v. d. auspiciis deditus sum. Ad tractandam autem hanc quaestionem me commovit tractantemque benignissime adiuvit Schwartz v. d. philologiae professor nunc Argentoratensis. Summa praeterea liberalitate me obstrinxerunt vv. dd. Velke, qui praeest bibliothecae Moguntinae, et Dieterich philologiae professor Gissensis.

Omnibus, quos nominavi, viris doctissimis omnibusque, qui praeter hos me docuerunt, gratiam habeo maximam.